B.N.C.F.
MAGL..5.6.199.
CF005270807

Digitized by Google

MACL 5.6.199
Biog. fen. 20 c

VITAE
ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN VII.

AUCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

PISIS MDCCLXXXI.

EXCUDEBAT JACOBUS GRATIOLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO

ARCHIDUCI AUSTRIAE MAGNO
ETRURIAE PRINCIPI
ETC. ETC. ETC.

ANGELUS FABRONIUS.

SI fuit unquam tempus ullum, quod mutum eſſe debuerit a litteris, iſtud profecto eſt, CELSISSIME PRINCEPS REGIE, quo Aviam tuam

Digitized by Google

morte extinctam dolemus, cujus patrocinio ac numine illae non ſolum vigere, ſed pene animari ac ſuſtentari videbantur. Eheu eheu crudelis mors, quae nos tanto in ſqualore verſari voluiſti! Et cum omnium voces ad miſerabilem ſonum ſint inflexae, omnibuſque in hac calamitate tabeſcendum eſſe videatur, a nobis quoque omni de re ſilebitur, praeter quam de maximis hujus Heroinae factis, ex quibus fomenta atque ſolatia acerbiſſimae plagae haurire tantummodo poſſumus. Sed omnes ſolidam & expreſſam effigiem virtutum illius jam tenent, ut vel iis, qui cum eloquentia polleant, vitam ipſius totam explicare, atque eam non modo in animis hominum, ſed etiam in oculis conſpectuque omnium exponere ſibi propoſuerunt,

deſperandum ſit poſſe ſe aliquid novi incognitique in medium proferre. Audivimus quae ſolitudo fuerit vel in frequentiſſimis urbibus, cum nuntium allatum eſt de illius morte, quae vaſtitas in agris, quae lamentationes univerſorum ordinum, perinde ac ſi ſpes omnis reſque publica univerſa unius feminae fato perculſa cecidiſſet. Cum delatum ſibi multarum gentium imperium non in beneficii loco, ſed in laboris ac muneris arbitraretur, omnes reipublicae partes diligentia omnino ſingulari circumſpiciebat, pari providentia cunctis conſulebat, & in hac cuſtodia regni videbat etiam atque etiam, ut non ſe unam, ſed omnes miniſtros imperii ſubditis ſibi populis praeſtare poſſet. Coacta vero arma ſumere, non quo pericu-

Digitized by Google

lum aliis faceret, ſed ut ſua ab injuriis tuta forent, tremebat animo, cum audiebat rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati, quae hoſtibus collibuiſſent, fana atque domos expoliari, caedem, incendia fieri, poſtremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri, ceteraque hujuſmodi quae bellum comitari ſolent, indeque primum tot malorum miſeratio, deinde indignitas & dolor Principum fortunae, poſtremo deſiderium tot calamitates avertendi, firmumque propoſitum, quam minime poſſet, iraſcendi, cum quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio plerumque ſuperbia atque crudelitas appelletur. Quam ſaepe Deo gratias agebat quod ſibi datum eſſet diu frui

ſumma pace tranquillitateque, ita tamen ut ea dormientem gubernatorem nec obruere, vigilantem etiam delectare poſſet; & quae geſſit aut in confirmandis ſibi ſociis, noviſque parandis, aut in avertenda inopia ſtipendii reique frumentariae, aut in augendis copiis omnibuſque iis rebus, unde cuſtodia regni atque ſecuritas publica, ſapientiam omnino ſingularem declarant. Non extimeſco ne nimis multa Mariae Theresiae laudibus concedere videar, cum quilibet per ſe facile comparare poſſit florentiſſimam, quam reliquit, regni totiuſque familiae fortunam, cum afflicta ac prorſus luctuoſa, qua pene opprimi videbatur, quando ipſa ad imperii gubernaculum acceſſit. Quae tum fuerunt conſilia & facta ad recuperandam

priſtinam dignitatem, ad excitandos omnes ad ſuorum regnorum defenſionem, quae adhibita diligentia, quae inſtitutiones ac diſciplina invecta, ut animo aequiore gentes belli incommoda ferrent, & fortiſſimis hoſtibus nimium alieni appetentibus reſiſterent, & quidquid ab iis aut pecuniae, aut copiarum decernebatur, non Reginae potius, quam univerſo hominum generi ac Deo immortali datum arbitrabantur! Quod ſi tantam feminam ſors immanibus ac barbaris nationibus praefeciſſet, pro ſuis ſingularibus meritis, & pro ſuis maximis beneficiis, non minus facile arcteque eas ſibi obſtrinxiſſet, ut nullam aliam poteſtatem fuiſſent deſideraturae. Videmus nunc etiam ſacra illorum magnorum Ducum veſtigia oſcu-

lantes, qui pro incolumitate Auſtriaci imperii praeclara facinora ediderunt, additumque non parum eorum gloriae arbitramur, quod ſub ſignis MARIAE THERESIAE militarunt. At ſicuti maris caelique temperiem procellae ac turbines commendant, ita ad augenda pacis bona, corroborandamque animi magnitudinem ac fortitudinem in Regina, formidoloſiſſimi temporis tempeſtatem oblatam illi fuiſſe crediderim. Quid tam porro regium, tam munificum quam opem ferre indigentibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, quibus in rebus tanta eſſe ſolebat occupatio beneficentiſſimae feminae, ut tanquam Deam aliquam e caelo delapſam omnes intuerentur? Facile autem eſt conjicere quantis ipſa compleretur gaudiis, cum ſe

univerſorum matrem appellari audiret, & tum fortaſſe minime eamdem pigebat ſe ad principatum vocatam fuiſſe, quod multis benefacere poſſet. Tam velox erat potentia illius, tamque in omnia pariter intenta bonitas, ut triſtius aliquid paſſis ad remedium ſalutemque ſufficeret ut ipſa ſciret; & cum in adverſis caſibus tam amplam materiem campumque inveniret ſuarum virtutum ſuarumque laudum, efficiebat nehomines ſui modo parentumque, ſed ne poſterorum quidem poeniteret. Acuebatur inde virtus in militibus; induſtria, fides, integritas & juſtitiae amor in civilibus magiſtratibus, quibus erat perſuaſum ſe ſibi ſuiſque conſulere, ſi culpa vacarent, quae una poterat divinae feminae beneficia remorari.

Sic aeque ſummis ac infimis cara, ſi quando gravius aegrotavit, unius ſalutem ſpectare omnium vota videbantur, cum quiſque ſibi ſe ac liberis ſuis intelligeret precari quae pro illa precabatur. Non poterat, quamvis modeſtiſſima, ignorare ejus virtutes quodammodo conſecratas, & in Deorum numero collocatas fuiſſe: quocirca in omnibus rebus quas ſtatuebat, quas decernebat, quas agebat, quid tantis hominum opinionibus, tantis de ſe judiciis, tantae caritati deberet, cogitabat. Id autem erat hujuſmodi, ut ſubjectos ſibi populos eſſe quam beatiſſimos vellet, quare hi leges a ſapientiſſima femina, quae ſalutem felicitatemque publicam bonorum conſiliorum adjutricem habebat, non modo libenter accipiebant, ſed

etiam efflagitabant . Quid memorem multas ab illa urbes magno & gravi aere alieno liberatas, complures dirutas ac pene deſertas per illam fuiſſe recreatas, nullas extitiſſe in provinciis ſeditiones, nullas diſcordias, ſublata latrocinia, caedes repreſſas, auctum commercium, remotam a fama, a fortunis calumniam atque injuſtitiam, proviſum ut civitates eorum conſiliis, quorum fides & prudentia cognita eſſet, adminiſtrarentur, effectumque demum ut omnibus & ad periculum & ad ſalutem praeſto eſſe poſſet? Porro ſi liceret hominem Deo aliqua in re comparare, dixerim Theresiam hujus imaginem quamdam fuiſſe, cum omnia ſentiret ac videret, nihil non meminiſſet, cunctis provideret, & omnia ſapien-

tiſſime regeret atque moderaretur. Quid illa quae ad doctrinarum, liberaliumque artium incrementum femina vel a pueritia interioribus quibuſdam reconditiſque litteris imbuta praeſtitit? Quot per eam viguerunt gymnaſia, quot aut inſtitutae, aut inſtauratae, ac pene renovatae Academiae, quantis praemiis homines doctrina clari ad eas invitati, quot inſtrumenta litterarum regio omnino ſumptu comparata, quot praeſcripta utiliſſime ad ſtudiorum & vitae rectam inſtitutionem, quot doctorum hominum excitata induſtria ad praeclara ingenii monumenta edenda! Mirabantur omnes, qui noverant quantis oneribus premeretur ſuſceptarum rerum & jam inſtitutarum, nova in dies magis ipſam meditari, ut nunquam

conquieſceret a continuis in litteras & in litteratos homines beneficiis. Nullum profecto eſt magno Principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in poſteros, quodque pertinet ad ingeniorum cultum, optimarumque artium celebritatem. Nam cum duae ſint artes potiſſimum, in quarum ſtudium Reges incumbere, quas perdiſcere, in quibus verſari vel ſoleant vel debeant, una militaris & bellica, per quam hoſtilis & externa injuria propulſetur, altera civilis & urbana & quodammodo togata, per quam civitates optimis legibus inſtitutiſque temperatae, concordia, opibus, virtute floreant, dubitari non debet, quin ea per quam populis vita beata quaeritur, & cujus cauſſa prior

eſt illa comparata, longe illi ſit anteponenda. Neque tanta femina fuit minus domi admiranda, quam foris clara, neque rebus externis magis, quam inſtitutis domeſticis laudanda. Quid enim ejus ſedes & cubicula viderunt niſi pudicum, quid niſi ex optimo more & ſanctiſſima diſciplina? Nemo vero ignorat quam optime mereantur de republica caſti & religioſi Principes, quod non ſolum Chriſtianas virtutes concipiant ipſi, ſed eas infundant in civitatem, neque ſolum ad tempus maximam utilitatem afferant, ſed etiam poſteris aeterna exempla proponant ad imitandum. Ut ad templum accedere omnes videbantur ad Reginam, cumque facillimi eſſent ad ipſam aditus, paterentque aures illius querelis omnium, nulliuſque

inopia ac ſolitudo non modo illo regio ſolio, ſed ne interiori quidem cubiculo eſſet excluſa, & omnia plena eſſent clementiae, manſuetudinis, humanitatis, cuncti libenter fatebantur nihil unquam contigiſſe humano generi glorioſius, nihil ſaeculo dignius. Neminem ſupercilio ac rugis terrebat, neminemque imperioſa majeſtate elinguem reddebat, ſic ut ſuus cuique pudor atque reverentia finem ſermoni faceret. Vel umbram ſuperbiae, quamvis potentiſſima, averſabatur, perinde quaſi nihil illi fortuna tribuiſſet. Eminebat, excellebat ut honor, ut poteſtas, quae ſuper homines quidem, hominum ſunt tamen; & cum ante illam Principes aut faſtidio noſtri, aut quodam aequalitatis metu plura exigerent, quibus verendos excolit

pietas Superos a ſe, a liberis ſuis, a domo ſua periculoſas hujuſmodi conſuetudines multas avertit, eaſque invexit, quibus de Principum ſuperbia omnino triumphaſſe videtur. Sic cum propius & confidentius privati ad Principes ipſos accederent, hi quidem intellexerunt ſe quoque ad ſocietatem communitatemque generis humani natos eſſe; & quae thronum obſediſſe videbatur adulatio, qua certe nulla eſt capitalior peſtis, plurimum de vi ſua ſe amiſiſſe doluit. Amabat libertatem dicendi, rectoſque ac vividos animos, non, ut alii, contundebat ac deprimebat, ſed fovebat attollebatque. Non ei mos erat flexiloqua & obſcura oracula fundere; & quocumque ſe verteret, illam veritatis amor perſequebatur; cum-

que nihil in ea fallax, nihil non flexibile ad bonitatem appareret, inficiebat ac torquebat animos accedentium ad ſe, ut vellet, ſic ut Suada in ejus labris ſiſſitare diceretur. Omnes ſtupefacti dicentem intuebantur, & multi qui ſuperiores ſe ab ea diſceſſuros, aut ſaltem aſſenſus ſuos firme ſe cohibituros ſperaverant, flexanimae victricis Reginae orationi cedere ſunt coacti. Infinitum eſſet ſingula commemorare. Quis demum ignorat tantarum virtutum comitatum minime proximae mortis adſpectu elanguiſſe, quin immo vividiorem extitiſſe; ipſamque tanta animi tranquillitate, quam una recte factorum conſcientia parere poteſt, Reginae, Matris, Chriſtianae feminae officia perſolviſſe, non ſecus ac ſi de domo in domum eſſet mi-

gratura. Scio me in rebus celebratiſſimis omnium ſermone verſari; ſed debet in tanta copia virtutum excitare animos non cognitio ſolum, ſed etiam recordatio. Quoniam vero, Celsissime Princeps Regie, mente tota omnique animi impetu in id incumbis, ut in te exprimas atque effingas tantae Heroinae imaginem, te ipſum laudare exiſtimavi, cum ipſam laudaſſem; praeterquamquod viſa eſt mihi hoc tempore omnis oratio aut inopportuna aut injucunda praeter illam, quae facta praeclara atque divina exponit ad imitandum. Det tibi Deus aetatem quam mereris, ſervetque animum quem dedit, quo voto ſane multarum gentium felicitas continetur. Minime vero arrogantiae tribues, quod ad Te cum votis & cum

munuſculo acceſſerim, cum compertum habeamus non aliter veneratam fuiſſe Antiquitatem magnos illos Heroas Diis proximos, quorum nomina immortalitati conſecravit.

Digitized by Google

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO BALTHASSARIO

S. P. D.

Nulla profecto non laude celebrandi ſunt ii magiſtri, qui exemplum ſecuti ſummi illius eloquentiae doctoris Alabandenſis Apollonii (1) adoleſcentes ſic inſtituunt, ut quid efficere poſſint, & quo eos ferat deducatque natura attente perſpiciant. Et ſi quidem viderint eos in aliqua arte ingenua poſſe ad ſummos pervenire, non ſolum hortabuntur, ut elaborent, ſed etiam obſecrabunt; ſi videbuntur non multum illi profecturi, permittent ipſis quid velint; ſin vero plane abhorrebunt, ut ſe contineant, aut ad aliud ſtudium, ad quod magis fuerint apti, ut ſe transferant admonebunt. Nam neque is, ut praecipit Cicero de iis, qui eloquentiae dant operam, deſerendus ullo modo eſt a cohortatione noſtra, qui optime poteſt, neque is, qui aliquid poteſt, deterrendus, quod alterum divinitatis cujuſdam ſit, alterum vel non facere quod non optime poſſis,

(1) Vid. Cic. de Orat. lib. I, c. 28.

ſerbuiſſet juvenilis ardor, tum vero moderatioribus iiſdem ac ſanioribus uteremur, & viderent prudentes in vita, quod hiſtriones vident in ſcena, qui non omnes neque optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligere ſolent. Sed adulta jam aetate intemperantiae audacia accedente; omnis vis ingenii intenditur ad noſcendas omnium fere librorum inſcriptiones, ad quaerendum quid in controverſiam ac diſceptationem vocetur, ad leviter intelligendas plurium populorum linguas, quaſi in aliqua ſurdum eſſe dedeceat philoſophum, ad comparandos inter ſe veterum & recentiorum labores, inventa ac ſcripta, atque judicium de omnibus pronuntiandum non delectu & ſapientia, ſed impetu atque temeritate omnino ſingulari. Praeclara quidem res eſſet atque magnifica poſſe nos doctrinarum omnium curſum conficere, & idem vere gloriari, quod falsò Eleus Hippias; nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret, nec ſolum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, ſed annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. Sed non eſt imbecillitatis ingenii noſtri, non exigui hujus ſpatii, quod eſt homini ad vivendum

latum, non denique ipſius naturae rerum, quae in infinita cum varietate tum difficultate verſantur, omnia aſſequi, omnia tenere, omnia meminiſſe. Itaque qui excellere ſapientiae gloria, & immortalitati nomen commendari ſuum exoptant, non plus ſuſcipient quam ſe aſſequi poſſe ſperabunt, & aliam alii ſibi facultatem in tanto tamque immenſo doctrinarum campo, in qua dies noctesque elaborent, ſeponentes, hanc tanquam ſpartam ſibi vel forte oblatam, vel conſilio delectam pro virili parte exornabunt. Bene ac ſapienter majores noſtros feciſſe arbitror, qui praeſtantiores diſciplinas quaſdam plures in partes, quaſi in membra, idcirco diſceptas eſſe voluerunt, ut quilibet e multis eligeret quam praecipue coleret; cum omnes comprehendere deſperandum eſſet. Sic una philoſophia, quae antea exiguis quidem finibus continebatur, cum in tres tantummodo partes diſtributa fuiſſet, in naturae obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores, augeri & amplificari plurimum potuit multarum facultatum diſtributione ſeparationeque, in quibus illud admirandum eſt, quod quamvis omnes unius matris imperio ſint ſubjectae, omneſque arctiſſimis inter ſe vinculis aſtrin-

gantur, ſeparatim tamen ſe cognoſci atque extoli minime recuſent. Ita ſit, ut qui tardo plane non ſit ingenio [non enim omnes idem acumen requirunt] poſſit in aliqua conſiſtere, & praeclare ſecum actum putare ſi omne id aſſecutus ſit, quod tradi ſolet vel a metaphyſicae, vel ab ethices, vel a phyſicae, ſive chemiae, ſive optices, ſive hydroſtaticae, ſive mechanicae, aut naturalis hiſtoriae, aut denique aſtronomiae magiſtris. Quis vero ſe immortali memoria dignum non putabit, ſi unam alteramve harum diſciplinarum tractans aliquid de ſuo aliorum inventis addere potuit? Haud paucos ego novi, quorum memoria canesſcet, *ut ille ait Poeta*, ſaeclis innumerabilibus, *quod in unius corporis natura proprietatibusque inveſtigandis atque contemplandis plures annos, quin immo totam vitam fuerint verſati, cum dubitari non poſſit reticentia poſterorum ſepultam fore inexhauſtam multorum aviditatem omnia noſcendi & in cujuſque facultatis fines penetrandi. Equidem minime reprehendere audeam naturam, quod parca fuerit in ſuis largiendis donis; quin potius ipſam laudaverim, quod in infinita hominum multitudine viſa ſit unicuique ſuum aſſignaſſe munus, & in hac prope aequalitate fraterna voluiſſe omnium*

eſſe conſenſum quemdam conſpirationemque mutuo ſe ſe adjuvantium. Porro adeo verum eſt nolle illam pluribus in rebus eumdem excellere (ſi perpaucos demas, quos ipſa ad vim ſuam quodammodo declarandam perraro edit) ut id uſuvenire etiam ſoleat vel in una eademque arte, quam Latinis & Etruſcis litteris celebrandam atque exornandam ſuſcipimus. Quod ut Franciſci Petrarchae confirmemus exemplo (innumerabilia enim afferre poſſem) quid non modo fieri, ſed vel cogitari ſplendidius, uberius, mollius, elegantius ejus Etruſcis carminibus poteſt? Equidem ſatiari nequeo in iis legendis; ſed cum ejuſdem Latina, ſive epica ſive bucolica in manus ſumo; vix adducor ut credam illa ab eodem condita fuiſſe poeta; & miror majorum noſtrorum vel inſcitiam, vel nimiam indulgentiam, quod ampliſſimum illud coronae laureae praemium iis deberi unice exiſtimaverint. Quis tam poetae finitimus eſt quam orator? Nihilo tamen minus perpaucos, & prope neminem invenies, qui utraque in arte excelluerit, quamvis infiniti extiterint, qui ad hanc laudem aſpiraverint. Sed ut ad illa magnarum rerum ſtudia redeat oratio, quae fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, non

negabo ea interdum indigere alterius artis ſubſidio, *ut*, *hac incognita*, *nemo in iis ipſis ſatis callide verſari & perite poſſit* ; *& tum quidem*, *me ipſo auctore*, *ſtudioſi adoleſcentes tantum ſibi ex illa aſſument*, *quantum neceſſe erit ad id*, *quod volunt*, *obtinendum*. *Neque repugnabo ſi rerum cognitioni tractationem orationis adjungere volent* : *nam quamvis verum ſit*, *quod Socrates dicere ſolebat*, omnes in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes, *nihilo tamen minus*, *qui gnarus erit faciendae & poliendae orationis*, *multo uberius de ſua arte ſuiſque inventis loquetur*, *& in univerſorum animos facilius influet*. *Ego vero quantum auguror conjectura*, *quantamque ſapientiam eſſe video in rerum publicarum moderatoribus*, *non deſpero fore aliquando*, *ut ſingulis diſciplinis ſui reddantur tutores*, *qui minime in plura ac diſſimilia ſtudia diſtracti unum* ; *quod ſuſceperunt*, *quodque eſt cujuſque ſuum maxime*, *urgeant opus*. *Tum quidem ſuperiorum temporum ſtultitiam damnabunt atque devovebunt*, *quando caeco quodam impetu concitata juventus multa profiteri*, *non item multa praeſtare*, *nihil non conari*, *vix quidquam poſſe perficere*, *& plus coloris quam ſucci ac ſanguinis ſibi comparare*

ſtudebat. *Quod malum ſi ad nos, ut reor, a Gallis maxime pervenit, qui artem ſe tradere gloriantur, multa atque infinita propemodum parvo labore noſcendi, fatebimur profecto nullam ab iis potuiſſe litteris ſecurim infligi graviorem. Haec commemoranda mihi eſſe putavi ſcripturo de vita Antonii Valliſnerii, qui quamvis ad multas philoſophiae partes illuſtrandas idoneus eſſe videretur, in una tamen hiſtoria naturali voluit conſiſtere, neque in hac univerſa, ſed in ea tantummodo parte, quae ad inſecta ceteraque minora animalia maxime pertinet. Per hanc plurimum & nominis celebritati & reipublicae commodis conſulere potuit; & quod infinitis pene erroribus ipſam liberaverit, nonnulli vere de eo praedicaſſe illud Ciceronianum videntur,* ſuis manibus in rerum natura quaſi alteram naturam efficere ipſum conatum fuiſſe. *Sed jam vitam ipſam explicare aggredior, quam ad te mitto, ut ad hominem, qui longe multumque praeſtat omnibus in hujuſmodi rerum cognitione & ſcientia. Vale.*

Piſis IV. Non. Mai. MDCCLXXX.

ANTONIUS VALLISNERIUS.

VAlliſneria familia non tam antiquitate quam viris fortiſſimis illuſtris nomen a Valle Nigra habuit, quod eſt oppidum Mutinenſis ditionis, quodque ipſam ut ſuum cum aliis oppidulis diu poſſediſſe traditum eſt. Ab ſtirpe hujus familiae plurimi, ſicuti palmae, rami diffuſi ſunt, quorum varia ſors fuit atque fortuna. Antonius, de quo ſcribendum ſuſcepimus, natus eſt V. Non. Maii MDCLXI. in arce Treſilici non ignobilis Carferonianae oppidi, quod ibi illius pater Laurentius munus de jure reſpondendi Mutinae Ducis nomine ſuſtinebat. Mater eidem fuit Lucretia Dacinia prudentiſſima & diligentiſſima femina. Adoleſcens quod diſci poterat de philoſophia Regii Lepidi didicit apud Jeſuitas. Horum unus Blaſius vir doctus e diſciplina Peripateticorum quod explere non poterat diſcipulum, qui uno haud erat contentus Ariſtotele, & majus ſemper aliquid deſiderabat, eo utebatur ſolatio, quod diceret ab illo tanquam a parente ceteros, qui maxi-

me celebrabantur, manaſſe philoſophos. Sed reſpondebat Antonius: omnium magnarum artium ſicuti arborum altitudinem ſe delectare; radices ſtirpeſque non item, quamvis illae ſine his eſſe non poſſent. Itaque rogavit patrem, ut ſe Bononiam mittere vellet, quam urbem doctorum nobilitate florere audierat. Illud profecto rarum eſt genus hominum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut praeclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati ſpatium deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitae curſum ſequi vellent. In qua deliberatione ad alterius, & praeſertim parentum, magis voluntatem, quam ad ſuam cujuſque naturam ſaepe conſilium omne revocatur. Sed datum eſt Valliſnerio, ut quam vellet ſtudiorum viam ingrederetur, ſavitque ei fortuna, quod cum medicinam, anatomen, ac praeſertim naturalem hiſtoriam excolendas ſuſcepiſſet, praeceptorem nanciſceretur Marcellum Malpighium, qui longe omnium in iis facultatibus princeps eſſe, & qui poſtremam non illuſtraſſe modo, ſed etiam pene genuiſſe judicabatur. Hic autem neminem qui Valliſnerio prae-

ſtaret ingenio, neque ſtudio, neque induſtria majore ſe cognoviſſe affirmabat; & cum nullum tempus illi unquam vacaret ab anatomicis exercitationibus, gravem & periculoſum nactus eſt morbum. Id adeo commovit ejus parentes & Malpighium ipſum, ut illius impetum atque ardorem reſtinguendum putaverint. Tum ad remiſſionem animi, tum ad obſequium in Principem, qui ſuis licentiam libertatemque praeciderat inſignia doctrinae ab externis Academiis accipiendi, anno MDCLXXXIV. Regium Lepidum venit, ibique laurea decoratus eſt a Caſalecchio, cujus magnum erat in medicis nomen, & quem *de morborum tranſmutationibus* omnium primum ſcripſiſſe alibi narravimus (1). Bononiam cum rediiſſet Antonius, ſummis viris auctoribus, priſtinas exercitationes renovavit, & quo inſtructior ad medicinam accederet, praeter ceteros doctores maxime audivit Laelium Triumphettum virum in multis diſciplinis, ſed praeſertim in re herbaria praeſtantem, & inſtituendi docendique prudentiſſimum.

(1) In vita Baglivii Tom. IV. p. 92.

Vigere tum videbatur philoſophia doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibuſque, & cum acriter inter ſe dimicarent Sbaralea & Malpighius, hujus belli participes quoque erant illorum diſcipuli ſive ſtudio in praeceptores, ſive ſpe quadam gloriae commoti. At Valliſnerius, qui otium & tranquillitatem ſemper amavit, ita ſe geſſit cum iis, inter quos maxima laudis erat aemulatio, ut intelligi non poſſet, uter eorum plus ipſum diligeret; & id quod erat difficillimum obtinebat, ut ad utriuſque ſcholas tuto accedere poſſet. Qua in re non ſolum tranquillitati ſerviebat, ſed etiam dignitati. Sic poſtquam complures annos ſtudio ductus rerum ad phyſicam pertinentium Bononiae habitaſset, haud paucas Italicas urbes peragravit, ac praeſertim Venetiis conſtitit, effecitque ut hujus peregrinationis, cum multos doctos medicos, & eos, qui in chirurgia & chemia excellere putabantur, audiviſset, ſibi fructus extaret. Habebat ille profecto comprehenſam animo quamdam formam perfectae medicinae, & multa & in ſe & in aliis deſiderans, & omnia ſe conſequi poſse deſperans, unum prae-

ſertim ſpectandum putavit, ad quod rectiſſimis ſtudiis ac continuis laboribus contenderet. *Naturae contemplatio* (praeclara hac Celſi ſententia reſpondere ſolitus erat reprehenſoribus ſuis) *quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicum reddit atque perfectum, verique ſimile eſt & Hippocratem & Eraſiſtratum (& quicumque alii non contenti febres & ulcera agitare, verum quoque naturam ex aliqua parte ſcrutati ſunt) non ideo quidem medicos fuiſſe, verum ideo quoque majores medicos extitiſſe*. Quaerebat igitur ex ſe ipſo, idque jam ſaepius, quodnam phyſicae genus ſequeretur maxime, & cum experiri tandem deliberaſſet quid efficere, aut quo progredi poſset in hiſtoria naturali, minime deterritus eſt praeclaris Malpighii & Redii operibus, quod prima ſequenti honeſtum & glorioſum eſse diceret in ſecundis tertiiſque conſiſtere, quemadmodum in poetis, ut eſt Ciceronis ſententia, non Homero ſoli locus fuit, aut Archiloco, aut Sophocli, aut Pindaro, ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos; nec Ariſtotelem in philoſophia deterruit a ſcribendo amplitudo Platonis; nec ipſe Ari-

ſtoteles admirabili quadam ſcientia & copia ceterorum ſtudia reſtinxit. Antequam Valliſnerius ad inventoris gloriam aſpiraret, aliorum inventa examinare voluit, & ſemel iterumque renovavit omnia experimenta, quae Malpighius ad bombycis naturam, & Redius ad inſectorum ortum noſcendum inſtituerant. Quoniam vero experiendo didicit non omnia vidiſse Redium, & in quibuſdam etiam ipſum peccaſse, non dubitavit eamdem pertractare materiam, quo convinceret eos, quorum ſermo imperitus increbuerat, fruſtra ſuſceptum a Redio laborem fuiſse ad evertendas Peripateticorum ſententias, qui plura animalia ex putri ortum habere gignique docebant. Nec tam perſuadere, quam delectare voluit lectores ſuos Valliſnerius, cum illud diſputandi genus, quod dialogus vocatur, omnibus praetuliſset, dans ſermonem iis, qui principes in hiſtoria naturali tum apud veteres tum apud recentiores fuiſse putabantur, Plinio & Malpighio. Itaque a re ſaepe diſcedit, intexit narrationes, ſententias cum ſententiis comparat, eaſque ſic diſponit, ut pictores varietatem colorum; & cum ele-

gantiam non ſolum Etruſcae locutionis, ſed & flores perſequatur, hac quoque in re aemulari gloriam voluiſse videtur Franciſci Redii, cujus, non ſecus ac Xenophontis, voce muſas quaſi locutas fuiſse a nonnullis dictitabatur. Mollis eſt oratio Redii in philoſophicis ſcriptionibus, nec ſententiis, nec verbis inſtructa popularibus, neque exquiſitis nimium. Naturali quadam pulchritudine commendatur, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore, urbanitateque conſentiant, quod vereor ut pronuntiari aeque poſſit de Vallisnerio, quamvis non tam docendo, quam dicendo delectationem haud mediocrem aucupetur. Hic quod animo ſentiebat, & oculis conſpexerat, libere in medium profert; haud reverens imperitorum reprehenſiones ac maledicta; & homo navus & induſtrius, experientiſſimus ac diligentiſſimus obſervandi arte, & obſervatarum rerum copia ipſum ſuperaſse Redium videtur. Sed hujus fuit laus propria, quod Italorum primus phyſica conſtantique ratione innumera pene ſuperſtitioſe atque aniliter dicta everterit, & dormientium & vinolento-

tum, & furioſorum viſa ab naturali hiſtoria propulſaverit. Ego autem mirifice capior horum ſcriptorum lectione; & cum videam prudentiſſimos homines id elaboraſse, non tam ut rebus probarent, quam ut vocibus delectarent, doleo ea efluxiſse tempora, quibus nullum jus erat brachatis & tranſalpinis nationibus aliquid peregrinitatis in noſtram linguam infundere, in qua potuiſses imaginem antiquae & vernaculae feſtivitatis ac leporis agnoſcere. Quoniam propoſitum erat Valliſnerio aliquid exquiſitius moliri quam ceteri praeſtiterant, poſtquam confirmaſset Redii ſententiam, qui Plinio negaverat ex equorum carnibus veſpas oriri, quid huic errori cauſsam dederit exponit, & oculis ſubjicit formam parteſque cujuſdam muſcae, quae cum veſpa quamdam habet ſimilitudinem, & quam prodire putat ab iis vermibus, qui in equorum & pullorum inteſtinis ſaepe reperiuntur. Quomodo vero fieri poſſit, ut inſectorum ova a paſtu in inteſtina equorum delata (1) cauſsa & origo ſint vermium,

(1) Hanc ſententiam poſtea correxit cum de lue equorum ageret. Vid. Tom. II. ejus operum p. 2.

mium, neque hos modo, ſed etiam muſcas ex iis genitas videre liceat exiſtere *vivas ſtercore de tetro*, pluribus explicare nititur Valliſnerius, quod non tam propriae defenſor eſſet ſententiae, quam oppugnator alienae. Contrarie enim hac de re ſcriptum a Redio fuerat. Obſervaverat hic gigni vermes in naribus vervecum, quod non magnae artis ac laboris fuit. Sed quonam modo id fieret, id erat longe maximum videre. Satis hac in re ſtudioſorum deſiderio Valliſnerius fecit, & adverſus ipſam Redii ſententiam probavit hujuſmodi vermes in muſcas proprii cujuſdam generis converti; has ova deponere in naribus eorumdem animalium, & novos inde oriri vermes. Neque horum modo, ſed & aliorum multorum, qui inter cutem taurorum, vaccarum, bovium, & ſimilium brutorum exiſtunt, figuram, & quidquid ad eorum mutationem in chryſalides & muſcas pertinet, ob oculos ponit. Res erat obſcura & difficillimos explicatus habere putabatur, quî fiat ut ex uno ovorum genere ſpecie diſparia naſcantur inſecta. Nonnulli, & quod mireris, Redius ipſe, exiſtimave-

ſant hoc opus eſſe ipſorum inſectorum animae; alii certiſſimum inde elici argumentum contendebant [1] cur quaedam, ſi non omnia, ex putri ortum habere inſecta credere debeamus. In horum ſententiis explodendis palam fecit Valliſnerius idcirco ex ovis noctivagi papilionis prodiiſse minimas muſcas, quod harum proprii vermes in eadem antea penetraverant, idque ex binis foraminibus apparebat, & multis ſimilibus confirmabatur exemplis. Erant qui crederent cicadas ex cuculorum ſputo naſci, & magnus ille e Verulamio Baconus monuerat philoſophos, ut hujuſce ſputi cauſſam inquirerent, quia *in arcanis naturae erat*. Ne id amplius lateret, factum eſt Valliſnerii induſtria atque diligentia. Is enim comperit, ſputum illud opus eſſe quorumdam inſectorum, quo involvuntur, donec formam adepta non plane diſſimilem canorae cicadae ex eo tandem evadant. Accurate explicat omnia, quae ad hanc mutationem pertinent, invenitque contra id quod putabat Baconus, non calidas modo

(1) Vid. memoires de Trevoux an. 1701. art. X. c. 49

herbas, ſed & frigidas & temperatas iſthac ſpumea veſtiri materia. Haec & quae de verme *formicoſo* (ſic enim appellat, quem nos Itali dicimus *cevettone*; quod is formicis veſcatur) in altero dialogo ſcripſit, ventoſiſſimus Gallorum Poupartius paucos poſt annos tanquam ſua Academicis Pariſienſibus venditavit (1), quam impudentiam Valliſnerius inultam eſse ſivit, non quia negligeret quid de ſe quiſque ſentiret, quod arrogantis ac omnino diſsoluti eſset, ſed quia probaturum ſe omnibus confidebat, nunquam indiguiſse alienis ornamentis, cum propriis abundaret. Adde quod iis temporibus plurimi erant teſtes audaciae Gallorum in arrogandis ſibi Italorum inventis, ut noſtri ob culpae frequentiam deſierint iracundius aut vehementius conqueri. Non minus ex ſententia cetera proceſserunt Valliſnerio inquirenti quomodo naſcantur, vivant, & in muſcas abeant xylophthori [nos hoc inſectorum genus in ligniperdam terreſtrem & aquaticam diſtinguimus] veſpae quaedam icneumones ab Ari-

(1) Vid. vol. Actor. Acad. Pariſ. an. MDCCV, p. 162.

ſtotelo appellatae, quae phalangia perimunt; & nidos in parietinis luto conſtruunt, tarmites ligna corrodentes, & cetera hujuſmodi inſecta, & illa praeſertim, quae roſis & ſalicibus gaudent, in iiſque naſcuntur. Sic dum occulta multa & quaſi involuta aperit Valliſnerius, magis magiſque confirmavit Redii ſententiam, nihil ex putri naſci, & omnia inſecta ſuos procreatores, ſuaque ova habere, eodem prorſus modo, quo in ſeminibus cauſſa eſt & origo omnium arborum, ſtirpium atque plantarum. Ad convincendos vero pertinaces & litigioſos quoſdam Peripateticos exquiſitius & copioſius de alga marina & paluſtri diſſerit, docens quomodo ex minutiſſimo ſemine illa quoque procreetur; augeſcat, & habeat quamdam maturitatem ſuam. Quidquid hoc loco de ſegetum rubigine (neque hanc aliud eſse putavit niſi minutiſſimorum vermium acervum) & de muſco non tam ejus diligentiam indicant, quam inſcitiam Alberghetti coarguunt, qui haec confundere videbatur. Harum omnium rerum explicationem tribuit Valliſnerius Malpighio, tum ad dialogorum ornamentum (ge-

nus enim hoc ſermonum poſitum in illuſtrium hominum auctoritate plus neſcio quo pacto videtur habere dignitatis) tum ad gratum animum ſuum in praeceptorem declarandum, de quo multa etiam memoriter & jucunde narrare ſolebat, nec dubitare illum in omni ſermone appellare ſapientiſſimum, & quaſi philoſophorum Deum. Cum videret Valliſnerius hanc primam ingreſſionem ſuam plurimum probari ab iis, qui de hujuſmodi rebus judicare poterant, incendebatur quotidie magis deſiderio univerſam naturalem hiſtoriam illuſtrandi: magnum opus omnino & arduum, ſed nihil difficile amanti putabat. Horum ſtudiorum cauſsa agros & montes luſtrabat, & tanquam venaticus canis erat incredibili ſagacitate ad omnia curioſa indaganda atque noſcenda. Referta jam domus ejus erat plantis, lapidibus, beſtiolis, ut miraretur veteres harum rerum contemplandarum voluptate non ſatis fuiſse commotos. Etenim animorum naturale quoddam pabulum eſse arbitrabatur conſiderationem & contemplationem naturae, neque in ea ullam eſse partem uberiorem, neque ad

prodendam divini Auctoris ſapientiam magis idoneam, quam quae ad inſecta pertinet. At quoniam non tam ingenio ac famae, quam fortunis erat inſerviendum, facile paſsus eſt ab hujuſmodi occupationibus ſe divelli, ut munus ſuſciperet docendae medicinae in Patavina Academia. Aſſignatum eſt ei ſtipendium CCCL. florenorum, quod ſemel iterum ac ſaepius auctum fuit ad centum uſque ſupra millenos. Dolebat Valliſnerius in celeberrimo Italicorum Gymnaſio adeo dominari veterem philoſophiam, ut recentiorum inventis omnis pene aditus intercluſus eſſe videretur. Itaque verens reprehenſiones & maledicta eorum, qui habebant auctoritatem & nomen, adhibendam ſibi eſſe putavit quamdam moderationem, atque prudentiam, cum de genere ſtudiorum ſuorum, & de univerſa ratione docendi eſſet dicturus. *Quae eſt iſta*, ajebat, *inſolens nonnullorum oſtentatio; qui prae ſe irrident atque contemnunt omnes veteres ſcriptores, haud intelligentes ſe pervetera ſaepe dicere, ſed inaudita pleriſque, cum nova ſibi dicere videntur? Et fateor me medicum, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex*

neotericorum officinis, ſed ex divini ſenis Hippocratis ſchola extitiſſe; ac video antiquam medicinam, etſi reprehenſionis aliquid, admirationis etiam plurimum habere. Omnia igitur expendat & ſeligat oportet medicus, percurrat omnes ſcholas, utatur alienis obſervationibus, diſcat ex quo quidlibet emanat, & in omni re judicium adhibeat. Ut vero apertum omnibus faceret ſe in veterum libris plurimum conſumpſiſſe laboris & temporis, expoſuit quae in his indicia ac veſtigia apparerent celebriorum inventorum, quibus recentiores maxime gloriantur, & hujuſmodi ſunt ſanguinis circuitus, halitus ex innumeris humani corporis meatibus erumpens, cordis, renum, hepatis, aliorumque viſcerum ac membrorum ſtructura. Haec quidem ad benevolos ſibi faciendos collegas ſuos plurimum valere judicabat, quo liberius eoſdem monere poſſet, ut furere deſinerent, neque omnia recentiorum inventa, quod ingratum ac ſuperbum erat, exagitarent: pecudis enim non hominis ſe ſemper exiſtimaſſe, cum tantas res philoſophi recentiores inveniſſent, non admovere aures, & ſi palam audire eos non auderent,

ſubauſcultando ſaltem voces eorum non excipere, & procul quid narrarent attendere. Jam vero interpretaturus more inſtitutoque majorum Avicennam de febribus, palam agere coepit, aperteque dicere eliminanda e medicina, quae de innato calore, de flamma vitali, de radicali humido, de humorum putri, de occultis qualitatibus ac facultatibus, aliiſque hujuſmodi ineptiis veteres ſomniaverant medici, & experientiam, & quaedam mechanica principia ad naturae vires melius noſcendas conſuli tantummodo debere. Quod haec minime conſentire videbantur cum iis, quae attulerat in oratione, cujus ſupra mentionem fecimus, de veterum medicorum laudibus, aliud obſcure moliri, aliud ſpecie ſimulationis oſtentare Vallisnerium ſeniores clamitabant. Eorum querelae tandem in apertum bellum erupere, ex quo fortaſſe minime victor diſceſſiſſet, niſi quoſdam obſequio & patientia mitigaſſet, omnibuſque oppoſuiſſet auctoritatem Friderici Marcelli S. Marci, ut appellant, Procuratoris, itemque IIIviri Academiae Patavinae regendae, a quo invitabatur ad minime deſerendam phi-

loſophiae cauſſam. Fecit itaque ut ſcripta eorum, qui inventores, & quaſi architecti exiſtimantur veritatis in omni praeſertim re anatomica & phyſica, non ſolum noſcerentur, ſed diurna nocturnaque manu pervolutarentur a diſcipulis ſuis, de quorum utilitate & commodis ſic laborabat, ut pro iis a ceteris oblectationibus ac voluptatibus deſeri omnino videretur. Praeſto iis erat non modo in ſchola, ſed etiam domi & in publicis noſocomiis, & ſi quem inveniſſet ſententiae ſuae oppugnatorem patienter audiebat, nec quemquam offendebat oratio illius, dum cauſſam ageret optimorum ſtudiorum, niſi quis ſe ita efferebat, ut in eum non invaſiſſe, ſed incurriſſe videretur. In his occupationibus, quae tamen ad ornandam magis, quam ad faciendam medicinam pertinebant, ſtudia naturalis hiſtoriae nunquam intermiſſa animo ſaepe renovabat. Iſtam enim doctrinam tanquam filiolam oſculabatur ſuam, quod non tam conſilio delegiſſe, quam a natura illam ſibi commendatam eſſe putabat. Ipſam vero cum intra unius gymnaſii clauſtra contineri minime poſſe intelligeret, cum vacabat a

publico munere campos, littora & montes vel aſperrimos peragrabat, omnes, ut ita dicam, naturae latebras, inquirens, multa colligens, majora etiam in ephemeride deſcribens, per quae rebus obſcuriſſimis lucem aliquando ſe allaturum confidebat. Non ignorabant quanto haec in pretio eſſent habenda qui confectores erant operis, quod inſcribitur, *la Galleria di Minerva*: quare il ſaepius rogabant Valliſnerium, ut de ſuis copiis aliquid ſibi ſuppeditaret, quo illud ipſum opus exornarent. Quae in hoc ſparſa erant ſimul collecta fuere, editaque Venetiis ann. MDCCX. ab Hieronymo Albrizio. Quale ſit lenticulae paluſtris ſemen (multi enim, & in his Ariſtoteles, illud eſſe negabant) & qui flos eſſet pluribus Valliſnerius exponit. Cum vero ei contigiſſet omnes minimas partes, aetates mutationeſque hujuſce plantae contemplari, multorum potuit de ea errores corrigere. Neque defuerant, qui crederent eamdem in alterius generis plantam ſiſimbrii ſimilem converti, quod nunquam fieri probat. Atque hoc loco parumper a propoſito digrediens levitatem confutat opinionis eorum,

qui hujuſmodi mutationibus interdum gaudere naturam putabant. Sane huic nihil tam eſt contrarium, quam inconſtantia atque mutabilitas; nec dubitabat Valliſnerius, quin pingui, ut ajunt, Minerva tum egerit praeceptor ſuus, quando ſcripſit, humido & pluvio caelo, racemos uvae in capreolos mutari. Dum inquirit quid hiſce erroribus cauſſam dederit, ſagaciſſime odoratur quem tenet curſum ipſa natura, & cum de una lenticula paluſtri, ſeu monophyllo adeo multa antea a phyſicis ignorata in lucem protulit, probavit omnibus exemplo ſuo ſine minuta quadam diligentia & patientia prope incredibili vix quidquam certi hiſce de rebus ſciri poſſe. Poſt haec illa ſequuntur, quae de roſarum muſcis obſervavit. Quae cum in eo ſunt ut pariant, adunco aculeo, qui ex infimo ventre prodit, ſulcos imprimunt in roſarum ramis ad continenda ova pertenui diſcrimine inter ſe ſeparata aptiſſimos. Cum ovis liquorem quemdam fundunt, per quem efficitur, ne ſulcus nova cortice obducatur, neque concreſcat plantae humor, qui ad mollienda ipſa ova, nutriendumque vermem in iis con-

tentum eſt neceſſarius. Editus in lucem vermis plantae foliis paſcitur quoad matureſcat. Tum folliculum ſub terra ad plantae ipſius truncum contexit, ex quo muſca exit non binis, ſed quatuor plerumque praedita alis, & delicatae ac mundae adeo naturae, ut non liguriat, ſicuti ceterae muſcae, ſed hortos ſilvaſque peragrans api ſimilis purpureis nutriatur floribus. His aliiſque rebus de natura & moribus hujuſce muſcae, aliorumque inſectorum diligenter expoſitis, conſiderat quaedam monſtra & prodigia, & quamvis ut phyſicus acutus & ſapiens ſaepe rationem reddat, cur quodlibet factum ſit, quoties tamen periculum eſt ne aut falſum, aut incognitum aſſentiatur, ac praecipitet, ſi temere proceſſerit, cohibet omnem aſſenſionem ſuam. Neque in aliis modo, ſed in ſe quoque ſpectator fuit rerum mirabilium. Nam anno MDCCVI. facta ſolis defectione, ipſe aliique, qui ex morbo minime convaluerant, tremores & languores corporis paſſi ſunt inſolitos. Cujus rei ex hiſtoriae monumentis alia profert exempla; neque ignoraſſe videtur Baconum quoque a Verulamio quoties

ſol deficiebat, viribus & animo defeciſſe. Illa potiora putantur, quae ad anguillarum ova & ortum ſpectant. Quaeſierat ex eo Bernardus Treviſanius num ne putaret poſt illos veteres, tot ſeculis, tot ingeniis, tantiſque ſtudiis quaerentibus, inveniri hac de re verum aliquando poſſe. Minime ſe mirari ait Valliſnerius per tot ſaecula hiſtoriam naturalem vix aliquantulum proceſſiſſe ad veritatis aditum, quod ſuperiorum auctoritas ita excaecaverat conſequentes philoſophos, & orbaverat ſenſibus, quaſi nulla vis eſſet in iis ad ea, quae oculis ſubjecta ſunt, judicanda. Itaque quaſi iratus increpat arrogantiam & ſtultitiam eorum, qui ſe ſcire aliquid putant, quod noverint ſententias quorumdam auctorum, quos probant, & tanquam Deos venerantur, quanquam, tantis offuſis tenebris, ne ſcintillam quidem ullam ad aſpiciendum reliquerunt. Et merito & jure commovebatur, cum de procreatione anguillarum, de quibus ſcribendum ſuſceperat, nec veras, nec veriſimiles res vel ſapientiſſimi homines protuliſſent. Horum omnium opiniones ille narrat, & in quibuſdam con-

ſutandis leporem magis & jocos, quam acumen adhibere debuit. Non deſuere enim qui ex Jove genitas eaſdem fuiſſe affirmarent: adeo verum eſt nihil tam abſurdum excogitari poſſe, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Diu quaeſivit Valliſnerius quonam procrearentur modo anguillae, ac tandem invenit eaſdem ova parere in ſalſis aquis, neque ad earum genus pertinere, quanquam nonnullam cum ipſis habeant ſimilitudinem, vermes, qui in earumdem ventriculis & inteſtinis interdum reperiuntur; quod Redius quoque & Levenoechius antea animadverterunt. Fors tulit ut in manus ejus perveniret anguilla ovis gravida, quod cum fruſtra Redius aliique quaeſiiſſent, gloriari potuit explorate a ſe perceptum & cognitum primo fuiſſe, eas in ovipararum beſtiarum numero reponendas. Minime in veritate crimen arrogantiae extimeſcebat Valliſnerius, cum affirmaret ſibi permulta ſuppetere aut ad augenda, aut ad emendanda, aut ad confirmanda ſcripta Redii, quod nemo unquam tam lynceus fuerit, ut in his ſtudiis omnia viderit, quodque ſaepiſſime

accidit, ut cum omnia feceris, diligentiſſimeque circumſpexeris, exiſtat aliquid, quod & veriſimile videatur, & abſit longiſſime a vero. Suum tamen gradum & honorem homini ſapientiſſimo reddebat, cum prudentia & lingua principem, & veluti medicinae parentem praedicaret. Suſpicabatur, vel potius intelligebat ille ſcorpiones foramina in aculeo habere, per quae foras venenum emittant; ſed cum hujuſce rei rationem non ſatis explicatam attuliſſet, de ea adhuc ambigi videbatur vel inter peritiſſimos. Id ut eſſet apertum atque perſpicuum Vallisnerii tandem diligentia obtinuit, quanquam in eo erraſſe putatur, quod tria iis foramina tribuerit, cum duo tantummodo ad latera poſita eoſdem habere conſtet (1). Elaboravit etiam ut inſignem faceret naturam illorum vermium, qui navibus adhaerent (*brumas* nos Itali dicimus) & de quibus nonnulla leviter tetigerat Redius. In minimis

(1) Vid. Fontanam *Ricerche fiſiche ſul veleno della vipera* p. 92. Quae protulerit Bernardus Antonius Ghedinius ad confirmandam Vallisnerii ſententiam legi poſſunt in I. vol. commentariorum Bononienſis Academ. Inſtituti p. 108.

illorum partibus animadvertendis diligentiſſimus fuit, rationemque docuit, qua naucleri cavere ab iis facile poſſent. Poſt haec de variis locuſtis, & praeſertim de *araneo-locuſta* (ſic enim nominat ipſam, quod ei ſit cum araneis quaedam ſimilitudo) pluribus diſſeruit. Hanc Turcae conſecraſſe videntur, quod adeuntibus ad Meccam anterioribus cruribus viam commonſtrare putent, cujus erroris originem facile Valliſnerius invenire potuit. Expoſuit etiam quodnam eſſet locuſtarum genus, quibus ad cibum uſus fuiſſe dicitur Joannes Baptiſta eo tempore, quo deſerta incoluit, quod quidem conſentaneum erat cum iis litteris, quas ab Hyacinto Ceſtonio accepit, & in vulgus emiſit ad confutandam ſententiam eorum, qui locuſtarum nomine genus herbae quoddam deſignari arbitrabantur. Docere quoque nos voluit, quomodo nonnulla inſecta ſe ſe in dura corpora inſinuent, iiſque implicentur; & mirabatur illa egregie impoſuiſſe homini acutiſſimo Redio, qui in anima plantarum eadem generandi vim ineſse arbitrabatur. Ad haec novis experimentis comprobare voluit veri-

tatem

tatem dogmatis Belliniani de ingreſſu aeris in ova; & quamvis perpauca definiret ad commune judicium, popularemque intelligentiam accommodata, cavebat tamen ne cui obtrectatorum videretur nimium pertinaciter Ariſtoteli infenſus, quo molliores ad capienda praecepta animos legentium efficeret. Et quoniam hoc ſcientiae genus latiſſime patere, & quamplurimis prodeſſe intelligebat, nullum recuſabat laborem ad illud provehendum; & agros & montes peragrans, modò ſe in ſilvas abſtrudebat denſas atque aſperas, modo ſemicapro ſimilis praecelſas attingebat rupes, modo terrae ingrediebatur cavernas rariora inviſendi & colligendi cauſſa. Deſcriptio, quam fecit, itinerum, quae per Ciſalpinam Galliam & Etruriam habuit, rerumque a ſe obſervatarum, ſatis quidem declarat fuiſſe illum ſpeculatorem venatoremque inſignem naturae. Neque eſt dubium quin eae res, quas perſequimur, non modo ingenio & ratione, ſed etiam viribus plurimum valeant ad delectationem, & magnam vim habeant ad gloriam. Saepe quidem accidit ut in his ſuis itineribus magus, & quae-

ſitor theſauri eſſe putaretur; ſed cum naturalis hiſtoriae ſtudioſis commonſtraret quod a ſe fuerat multifariam defoſſum, ſe aurum, & ſigna & notas locorum oſtendere dicebat, quibus cognitis, quilibet ſibi ipſe foderet, & id quod vellet haud magno labore ac nullo errore inveniret. Erat autem artis exquiſitae recte de omnibus judicare, neque ſpecie rerum decipi. Ob hanc cauſſam redarguere potuit hominem Gallum Verneyum, qui admiratione ſtupefactus rem omnium rariſſimam philoſophis ad contemplandam ſe proponere gloriabatur, cum de bovis cerebro in lapidem converſo ſcribendum ſuſcepiſſet. Plurimis argumentis oſtendit Vallisnerius in calvaria bovum, ceterorumque animalium, quae cornibus ſunt armata, poſſe fieri oſſeas concretiones, quae quidem habeant quamdam cerebri ſimilitudinem, cum tamen natura omnino ab eo ſint diverſae, neque id raro adeo evenire, ut portenti & prodigii ſimile numerari debeat. Jam illud erat certiſſimum Vallisnerio, oſſa, dentes, cornua, ligna poſſe veros in lapides verti, viſcera, inteſtina, cerebra, carnes, ſangui-

ſiem, ceteraque hujuſmodi fluida corpora non item, quamvis haec interdum in lapide, qui ſciſſilis dicitur, incluſa, & inter coagmenta terrei ſucci exarefacta inveniuntur. Sed in hujuſmodi concretionibus nonnunquam eſt quaedam difficilis ad diſtinguendum ſimilitudo, quam ſaepe errorem creare compertum omnibus eſt. Jam videbatur ſibi navaſſe operam, quod Verneyum confutaſſet. Sed cum eruditiſſima illa Gallorum natio hoc cumulata ſit vitio, ut ſuos ſcriptores tanquam Deos veneretur, ceteros vero inopes doctrinae atque elegantiae, aut *unius cujuſdam operis*, ut ait Cecilius apud Ciceronem, *remiges aliquos*, *aut bajulos ducat*, huic arrogantiae obnitendum, & tuendam Italiae dignitatem eſſe putavit Valliſnerius. Itaque de vermibus humani corporis librum conſcripſit, ut alteri, quem hac ipſa de re vulgaverat Andrejus, opponeret, quemque Pariſini Academici ſummum ac perfectiſſimum eſſe judicaverant. Nil apparet in Valliſneriano opere niſi ingenuum, nihil niſi moderatum, pudicum & ſapiens; neque dubitabis ex eo concludere adverſus Andreii, aliorumque recentiorum ſententiam,

Digitized by Google

illorum vermium ova minime ab iis rebus, quibus alimur & vivimus, ſuppeditari, ſed ingenerata fuiſſe hominibus a prima eorum origine; vermes in ipſis naſci & enutriri; & adeo proprios eorumdem eſſe, ut nihil commune habeant cum aliorum corporum vermibus, ne lumbricis quidem terreſtribus exceptis. Adverſari naturae legibus extraneos & alterius generis foetus probat, unde occaſionem ſumpſit irridendi fabellas hujuſmodi multas, quibus fidem adjungere indignum prorſus eſſe ait philoſophi ſapientia. Quaerit omnia diligentiſſime, quae ad naturam & formam pertinent eorum vermium, qui *lati*, *teniae*, *ſolii*, & *cucurbitini* vocitantur, non judicio ſolum & diſceptatione, ſed ipſa experientia multa ab Andrejo prolata evertens, in quo non ſolum naturalis hiſtoriae, ſed etiam medicinae ſtudioſis plurimum conſuluit. Videas jam apud Valliſnerium ex variis cucurbitinorum colligationibus, quae ita perpetuae & arctae ſunt, ut alterum ab altero vix diſtinguas, varias eorum formas magnitudineſque oriri, & ſi quem antea addubitare cogebat de lati verminis natura do-

ctiſſimorum hominum diſsenſio, poſt Valliſnerii obſervationes facile fatebitur ipſum componi ex admirabili illa continuatione serieque cucurbitinorum. Valliſnerii liber, qui Andreii gratiam conciliare debebat, vehementiſſime exulceravit, mirabanturque omnes ingratiſſimi hominis injuriam ſic exultare non modo in Valliſnerium ipſum, ſed in illius etiam laudatores, ut nihil illo arrogantius ac petulantius, nihil ineptius eſſe videretur. Hunc inultum non ſivit eſſe Valliſnerius, & ſi quid perſecutus eſt acrius in ea, quam pro ſui defenſione ſcripſit ad Danielem Clericum, epiſtola, invitus & coactus feciſſe videri voluit. Verens vero ne ſi diutius in hac diſputatione perſeveraret, ab animi ſui lenitate deduceretur, adoptavit ſibi defenſorem Joannem Thomam Brinium cariſſimum diſcipulum ſuum; neque ſane difficile fuit ſcripta multis vitiis & infinitis pene erroribus depravata confutare. Iſtam ipſam demonſtrationem errorum Gallici ſcriptoris doctrinam eſſe non mediocrem exiſtimabis. Fuit vero renovatio quaedam & confirmatio ſententiae Valliſnerii liber, cui titulus: *nuova ſcoperta dell'*

ovaja e dell' uova de' vermi tondi degli uomini e de' vitelli, quem ad Jo. Mariam Lanciſium inſtituit. Enitendum illi fuit, ut oſtenderet magnam eſſe inter vermes tum vitulorum, tum hominum ſimilitudinem, quorum in partibus, & iis praeſertim, quae ad generationem pertinent, deſcribendis minutam diligentiam adhibuit, glorians ſe primum omnium vidiſſe ova, & ovariam (ſi hoc verbo licet uti) eorumdem vermium, novamque lucem attuliſſe ad noſcendam naturam eorum, quos hermaphroditos vocamus. Si haec glorioſa fuerunt Italis noſtris, non igitur illi audiendi erant, qui ab hujuſmodi occupationibus avocare Valliſnerium ſtudebant, illud ſaepe inculcantes nihil altum, nihil magnificum ac divinum ſuſpicere illum poſſe, qui ſuas omnes cogitationes abjeciſſet in res tam humiles tamque contemptas. Ad hos irridendos ſe cum Muſis commercium habere velle oſtendit; itaque ingreſſus eſt ſcribere de illo furore, ſine quo Democritus quemquam poetam magnum eſſe poſſe negabat. Sed ipſa ſermonis lenitas indicavit ſe aliud ſpectare, & ab illa inflammatione animi, & quaſi fu-

foris afflatu plurimum abeſſe. Deſcendit itaque ad deſcribendam naturam, formam, mutationeſque omnes oeſtri, quod animalis genus (huic nomen aſilo Latinum eſt) ad boves magis, quos ad furorem vere adigit, quam ad poëtas pertinere dixeris. Hic plerumque montes, eorumque vicinias incolit, mediis fervoribus inſtat acrior, aculeo, quem in extremo corpore ſub podice habet, pungit acerrime bovem, ut ovum in ejus pellem inducat. Natus ex eo vermis alitur materia, quae ex inflicto vulnere prodit, & quod ſanari vetat ſparſum ab aculeo venenum; creſcit ad nonum aut decimum uſque menſem, & qui torpere antea videbatur, maturus factus agilitate magna mutat ſedem, ſub terra vel ſub lapidibus chryſallis factus quieturus, donec in volatile abeat. Quanta ſit admirabilitas naturae in hujuſmodi metamorphoſi perficienda Valliſnerius, ſolitus minima quaeque explorare, non tam accurate quam eleganter narrat, redarguitque illorum errorem, qui Ariſtotelem & Plinium ſecuti, aſilum & tabanum, duo animalium genera diverſiſſima, minime diſtinxerunt. Hoc

ſcriptum, quaſi feſtivum acroama, ne ſine corollario ad Alpheſibeum Carium Arcadiae Cuſtodem mitteretur, laudes illorum paſtorum celebravit, qui non tam aures multitudinis carminum dulcedine quaſi titillare, quam naturae ſcientiam non alienarum opinionum, ſed rerum ſapientiſſimi inquiſitores illuſtrare ſtuduerunt. Inter hos quidem locum ſibi dari vehementer optabat Valliſnerius; & quamvis intelligeret ſatis jam ſibi gloriae quaeſitum, & potuiſſe ſe deſinere, animus tamen inquies paſcebatur opere, in quo non tam liberam quamdam animi oble-ctationem, quam utilitatem neceſſariam quaerebat. Infinitus eſſem ſi ſingula ab eo obſervata referre vellem, & ea ipſa, quae hactenus retuli, ſentio fuiſſe longiora, nulloque ordine expoſita. Sed nihil difficilius quam in hujuſmodi rebus ordinem ſervare, quamvis Valliſnerius in ea erat ſententia, ut crederet, eam hiſtoriae naturalis partem, quae ad inſecta pertinet, poſſe ordinate explicari. Quatuor in claſſes illa diſtribuit, quarum priorem aſſignat inſectis, quae plantas incolunt, hiſque nutriuntur: alteram a-

quarum habitatoribus; ponit in tertia illa omnia, quae ſub terra atque arena, in luto, in lapidibus, in conchis terreſtribus, ſeu a mare relictis, & in mortuorum corporum oſſibus vitam degunt; in quarta demum illa continentur, quae aliis animalibus adhaerent, aut ſunt intus in ipſorum corporibus. Praecipue hae claſſes rurſus in alias minores dividuntur, & ea, quam primo loco poſuimus, quadraginta & unam minores continet, quarum ſingulae ſuas quoque in partes, ſeu articulos, ut ipſe vocat, diſtribui poſſunt. Atque in his omnibus quid difficulter fieri, & quid facile poſſet conſideravit ipſe Valliſnerius. In hortis enim, in apertis agris, in plantis muſcae, exempli cauſſa, reperiuntur, quae in aqua commoratae ſunt uſque eo dum in volatilia fuerint converſae: atque has quanam in claſſe adnumerabimus? Eadem pene dicito de iis inſectis, quae ſub terra vivunt, dum chryſallides fiant, plantarum & arborum folia poſtea corroſura. Sed quaecumque ſit ratio ordinis & diſponendarum rerum, plurimum ſemper intererit notam habere naturam, proprietateſque multorum inſectorum;

Digitized by Google

iſque ſciat optime ſe operam collocare, qui Vallisnerium imitatus in ea cogitatione curaque verſatur, ut omnia per ſe, quam ſagaciſſime poſſit, odoretur, minime aliorum, quamvis ſapientiſſimorum hominum dictis; ſed ipſis ſuis unice fidem oculis praeſtiturus. Ceterum ii, qui novari aliquid volunt, conficiant tabulas, (neque ab hac ratione diſſentit Vallisnerius) in quibus adnotata ſint inſecta quarumdam plantarum propria; & quamvis una quercus quamplurima, quae alit, ſuppeditare poſſit inſecta, ut infinitum pene opus videatur, haud tamen deſperandum erit, quin aliquando diligentiſſimorum hominum conjunctis laboribus, perfectas hujuſmodi tabulas habeamus. Ipſas diviſiones, quas in rem herbariam induxit Tourneſortius, poſſe utiliter ad inſecta transferri exiſtimabat Vallisnerius; & quia immenſum erat & infinitum, quod noſci debebat, invitabat omnes ad multam operam, multumque ſtudium in res prorſus miras conferendum, illa Plinii uſurpans (1): *Elephantorum miramur humeros*,

(1) Hiſt. Nat. lib. II. c. 24

taurorumque colla & truces in ſublime jactus; tigrium rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nuſquam magis quam in minimis ſit. Atque hic callidus rerum aeſtimator, ut exemplo ſuo magis magiſque probaret, nihil in medium proferendum, quod non experientia & veritas ipſa convincat, an. MDCCXV. vulgavit hiſtoriam chamaeleontis Africani, quam tanquam illuſtre exemplar proponere auſim omnibus iis, qui hujuſmodi res tractandas ſuſcipiunt: nihil enim illa diligentius, accuratius atque elegantius excogitari poteſt. Exorditur ab explicatione colorum, quibus iſtud animal ornatur, & in ejuſdem cutis fabrica, quae innumeris pene ſulcis & plicis diſtinguitur, & in aeris circuitu, qui intra cutem ipſam per canaliculos a pulmonibus huc & illuc transfertur, rationem invenit, cur tanta & tam ſubita exiſtat colorum varietas atque mutatio. Cum criſpatur aut dilatatur cutis, aer aut excipitur aut foras expellitur, & hinc major aut minor excitatur motus in humoribus, quibus ipſa irroratur. Nemo vero ignorat propter hanc motus fluidorum varietatem varie vel ipſos

homines colorari. Sunt aliae hac de re philoſophorum ſententiae, quas apud Bomarium legas. Verum ſi noſcere cupis interiorem admirabilemque fabricam membrorum, & praeſertim linguae & oculorum, quae adeo propria eſt hujus animalis, ut cum ceteris nihil aut parum commune habere videatur; neque hunc, neque Pariſienſes Academicos (1), ſed Vallisnerium unice conſules, qui minima quaeque deſcripſit, & ſingulorum uſum adnotavit. Palpebra una cum oculo non ſurſum & deorſum movetur. Alter oculorum ad animalis arbitrium movetur, altero immoto; unus ſurſum fertur, alter deorſum; unus antrorſum, cum alter retrorſum contrario motu inflectitur. Motiones hae incredibili velocitate peraguntur; atque idem dicito de lingua, in cujus extremo muſculus viſitur cylindri formam referens, & fibris in ſpirae modum ſuperpoſitis conſtans, quem muſculum hujus admirabilis velocitatis cauſſam eſſe praecipuam putat. Cohortante Bel-

(1) Apud Hamelium de Hiſtoria Regiae Scientiarum Academiae lib. I. c. 11.

linio, qui mirabiliter de Vallisnerio & loquebatur & ſentiebat, linguam ipſam in omnes ſuas minimas partes diviſit, & de his, de capite univerſo, ne auribus quidem exceptis (quanquam his carere Academici Pariſienſes chamaeleontem affirmabant) quas in palato invenit, de cauda, de cruribus, de ovis, de ratione, qua illud animal ſuſtentatur, incedit, ac procreationi dat operam, deque omnibus viſceribus multa ſane ceteris incognita protulit. Mirum vero quot mendacia ſcriptorum coarguat; & nullum fortaſſe animal reperies, ex quo tot ſumptae fuerint ſimilitudines, & quod tot erroribus cauſſam dederit, quia omni tempore homines ſpeciem magis quam rem, opinionem magis & commenta quam experientiam, veritatemque fuerint conſectati. Quia ipſum cum lacertis aliquam habere videtur ſimilitudinem, idcirco Vallisnerius plura a ſe ſe de his quoque obſervata, ut & de ſalamandris, buſonibus, & ranis perſequi in eo libro ſibi propoſuit. Quae ad ranas pertinent non ſolum naturalem hiſtoriam, ſed etiam medicinam plurimum illuſtrant, & merito Au-

ctor irridet eos, qui illud bufonis Americani genus, quod *Pipal* nominatur, e dorſo foetus fundere putarunt, ex eo decepti, quod femina ova pariat ſuper maſculi dorſum, cui firmiter adhaerent, dum ex iis animal excludatur. Perſuaſiſſimum erat Valliſnerio illam, quam dicimus comparatam anatomen, magno uſui eſſe poſſe vel ipſius hominis cognoſcendae fabricae; & a provida ſolertique natura ſic conformata fuiſſe omnia corpora, ut eſſet quaedam colligatio cauſſarum; quare illum de philoſophia univerſa optime mereri, qui vel minimam illius partem illuſtraſſet. Itaque diligentiam praecipue ſibi colendam eſſe putavit cum zoologiam tractaret, cujus utilitas in ſcriptis Valliſnerii, ut in herbis non fallacibus fructus, mirabiliter apparet. Dici non poteſt quantopere ille ſit gaviſus, cum commodum ipſi fuerit ſtruthionis fabricam contemplari. Rem dignam putavit, de qua libellum conſcriberet tum ad obſervationes ſuas prodendas, tum ad aliorum errores confutandos. Diſſentit interdum ab Academicis Pariſienſibus, qui ei in hac anatomica inquiſitione prae-

cucurrerant (1). Neſcias an inter beſtias volucres, an terreſtres ipſum adnumeres. Alas quidem habet, ſed ad volandum minime idoneas: pluma, pennis & quibuſdam etiam ſpinis veſtitur; cruribus ſimilis eſt camelo, ſupercilia, ut in homine, oculos ornant, & ut in pleriſque brutorum vidimus, ad binas externas pupillas tertia interior additur, cujus uſum ignoramus. Quanta in eo ſit vis ad duriora concoquenda corpora pluribus perſequitur Valliſnerius, volens convincere Gallos, qui ex vero, ut ego quidem judico, affirmaverant atteri quidem atque attenuari poſſe ferrum ceteraque metalla a muſculoſo ſtruthionis ventriculo (2) atque ſtomachi calore, minime vero conſumi & in chylum converti. Neque ſolum deſcribit externas par-

(1) V. Reg. Scient. Acad. hiſt. lib. I. cap. V.

(2) Vid. Morgagnium Adv. Anat. III. animadv. XVIII. Tantam vim eſſe in lacertoſis adeo ſtruthionis muſculis, ut aliquibus in locis tres circiter uncias craſſitudine ſua aequent, mirum videri minime debet conſideranti communium avium ventriculos muſculis adeo firmis inſtructos fuiſſe, ut eoſdem in gallo Indico Borellius non dubitaverit cum potentia librarum 1350. comparare,

tes, ſed etiam omnia quae intus incluſa ſunt; quam admirabiliter fabricata, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium: quam mirae libidines & in mare & in femina commiſcendorum corporum, & quam aptiſſimae horum partes ad concipiendum & procreandum, in quibus quadrupedem potius quam avem agnoveris. Reſpirationis organa multo accuratius ſunt obſervata quam in aliis avibus, quod in ſtruthione veſicae ſint firmae & denſae, fere ut ſuillae; in pleriſque autem avibus adeo ſunt tenues, ut difficillimum ſit eas inter diſſecandum non perforare. Qui ſint tot veſicarum uſus quaeſitum, & avium reſpiratio cum terreſtrium animantium reſpiratione comparata. Multa ejuſmodi proferre poſſem, ſed genus diligentiae a Vallifnerio adhibitae vides, ut ſemper & novitate ipſa delectet & copia. Neque vero plurimum non laudandus is in eo eſt, quod nihil poſſet de natura cogitare & ſcribere, quin mentem revocaret ad illam ſummam rerum omnium conſentientem, conſpirantem, continuatamque cognationem, quam aptiſſimam eſſe putabat

ad

ad prodendam miram Dei ſapientiam: undique enim omni ratione concluditur mente conſilioque divino omnia in hoc mundo ad ſalutem omnium, conſervationemque admirabiliter adminiſtrari. Atque hac de re cum ei in animo eſſet uberius & fuſius diſputare, quaedam breviter & anguſte concluſit in ea, quam ad Academicos *Mutos* (ſic enim appellabantur) collegas & cives ſuos miſit diſſertatione *de admirabili continuatione ſerieque rerum*. Orditur ab iis corporibus, quae gignuntur e terra, quibuſque natura nullum ſenſum, nullumque ſemen tribuit, mediaſque inter haec & terreſtres plantas eſſe putat lapideas maris plantas, quas opus inſectorum eſſe minime ſuſpicabatur. A plantis, ceteriſque rebus, quae vim ſeminis habent in ſe, ut ex uno plura generentur, ad zoophita tum marina tum terreſtria procedit, reprehendens Academicos Pariſinos, qui eadem vix nata, dum moventur, invicem ſibi foecunditatem tribuere exiſtimaverant. Poſt haec contemplatur animalia utriuſque ſexus, ut ſenſim & quaſi per gradus accedat ad inſecta. Horum quanta varietas & copia, quanta ad

eam rem vis, ut in ſuo quaeque genere per-
maneant! Dabat quidem & libenter de hac
hiſtoriae naturalis parte optime meritos fuiſſe
Redium, Malpighium, Lewenoechium, Swam-
merdamium, Bidloum, ſed ea magis illi laus
erat jucunda, quam a propriorum inventorum
commemoratione derivabat. Neque erat in-
ſcius eſſe utilitatem maximam in his rebus,
quod inſecta aliquid commune cum omnium
generum animalibus habere, & omnium fer-
me elementorum dominatum occupare vi-
deantur. Alia enim coriis tecta ſunt, alia
villis veſtita, alia ſpinis hirſuta; pluma alia,
alia ſquamma videmus obducta, alia eſse
cornibus armata, alia habere effugia penna-
rum, alia gradiendo, alia ſerpendo ad pa-
ſtum accedere, alia volando, alia nando.
Atque etiam multorum ea eſt natura, ut
quamvis in terra partum edant, ſimul ta-
men ac niti poſſunt, aquam perſequantur;
alia vero quamvis gignantur in aqua, vix ta-
men nata terram quaſi naturalem domum pe-
tant: tantam ingenuit animantibus conſervan-
di ſui natura cuſtodiam. Quanta ſimilitudo ſit
inter piſces & terreſtria animalia, & per quos

gradus a piſcibus ad aves, ab his ad quadrupedes ſenſim natura tranſeat, docte animadvertit Vallisnerius, ut tandem perveniat ad illud animal, quo nihil eſt melius, quia ratione utitur, cujuſque cauſſa factum eſſe mundum, quaeque in hoc mundo ſunt omnia creditur. Non hoc fuit propoſitum Vallisnerio totam hominis fabricationem, omniſque humanae naturae figuram atque perfectionem inquirere, quod alii multi praeſtiterant; ſed ipſe voluit occultiora, & quae ab oculis removerat natura, ſcrutari, ipſam videlicet hominis procreationem. Librum itaque anno MDCCXXI. in lucem emiſit, quem inſcripſit: *Iſtoria della generazione dell' uomo e degli animali ſe ſia da vermicelli ſpermatici o ſia dalle uova*, idque nobiliſſimum Vallisnerii operum praedicare non dubitabis. Is pollicetur magnae ſibi curae fore, ut omnia ad experientiam revocentur; & lucem diligentiſſimi auctoris certe multa deſiderabant, in quo omnium judicio ille princeps exiſtimatur. Minime a me expectari puto, ut ſingula, vel praecipua enumerem eo in libro contenta, quae multi ſtomachantes veluti indecora re-

ſuerent. Sed profecto mirificam ſe in latebram conjecit Valliſnerius, qui opus naturae in procreatione hominis ſe noſcere poſſe putavit. Erant permulti, qui totum hoc Leweoechianis vermibus tribuebant, quorum argumenta confutat, quamvis eos vermes eſſe minime dubitaret, & ſe vidiſſe teſtaretur. Diſcutit ea, quae obſcurare videbantur ortum viviparorum ab ovis, quod ſyſtema a Graafio, vel ſi mavis a Stenone excogitatum, a Malpighio confirmatum, nova per ſe luce illuſtratum iri ſperabat. (1) Nihil qui-

(1) *Buffonius* (Hiſt. naturelle des animaux chap. VIII.) *circumſpectis rebus, omnibus rationibuſque ſubductis ſummam fecit rerum ab iis doctiſſimis viris obſervaterum, concluſitque hanc ſententiam.* Voyons donc ce qui nous reſte de réel dans les découvertes de ces Obſervateurs & ſur quoi nous puiſſions compter. Graaf a reconnu le premier qu'il y avoit des altérations aux teſticules des femelles, & il a eu raiſon d'aſſurer que ces teſticules étoient des parties eſſentielles & néceſſaires à la génération. Malpighi a démontré ce que c'ètoit que ces altérations aux teſticules des femelles, & il a fait voir que c'étoient des corps glanduleux qui croiſſoient juſqu'à une entiere maturité, après quoi ils s'affaiſſoient, s'oblitéroient, & ne laiſſoient qu'une très-légére cicatrice. Valliſnieri a mis cette découverte dans un très-grand jour, il a fait voir que ces corps glanduleux ſe trouvoient ſur les teſticules de

dem accuratius ejus obſervationibus fieri poteſt, ut merito de eo praedicaſſe videatur Buffonius (1) non poſſe quemquam reperiri, qui hanc philoſophiae partem tam bene fundatam nobis reliquerit. Sed abreptus fortaſſe ſyſtematis amore, quamvis ova nunquam reperire potuerit iis in cavis, a quibus contineri in uterum mox deſcenſura ar-

D 3

toutes les femelles, qu'ils prenoient un accroiſſement conſidérable dans la ſaiſon de leurs amours, qu'ils s'augmentoient & croiſſoient aux dépens des véſicules lymphatiques du teſticule, & qu'ils contènoient toujours dans le temps de leur maturité une cavité remplie de liqueur. Voilà à quoi ſe réduit au vrai tout ce qu'on a trouvé au ſujet des prétendus ovaires & des œufs des vivipares. Qu'en doit-on conclure? Deux choſes qui me paroiſſent évidentes, l'une qu'il n'exiſte point d'œuf dans les teſticules des femelles, puiſqu'on n'a pu y en trouver; l'autre qu'il exiſte de la liqueur, & dans les véſicules du teſticule, & dans la cavité du corps glanduleux, puiſqu'on y a toujours trouvé, & nous avons démontré par les expériences précédentes, que cette dernière liqueur eſt la vraie ſemence de la femelle, puiſqu'elle contient, comme celle du male, des animaux ſpermatiques, ou plutôt des parties organiques en mouvement.

(1) *Vallisneri eſt de tous les naturaliſtes celui, qui a parlé le plus à fond ſur le ſujet de la génération*. Loc. cit. Cap. V. pag. 294.

bitrabatur, nihil tamen non confici ab ovis affirmabat, quorum, ex ejus ſententia, magna adeo copia in prioris feminae ovaria condita fuit, ut hominum, qui futuri eſſent, numerum aequaverint. Hac re poſita, facilis multorum phaenomenorum explicatio videtur; & certe in plurium ſyſtematum inventione, quamvis Valliſnerianum ceteris verius non auſim affirmare (cauſſam enim procreationis fortaſſe Deus perpetuo latere voluit obſcuritate involutam naturae) minus tamen illud habere judico vel obſcuritatis vel erroris. Eſſe ſigna quaedam putat Valliſnerius, ut praedici poſſit quae ſterilis futura ſit femina, quae foecunda; & poſtquam pluribus perſecutus eſſet ſterilitatis cauſſas, quae ad has removendas adhiberi remedia poſſint, exponit. In aliorum obſervationibus aut corrigendis aut confirmandis miram prudentiam prae ſe fert, neque mendacio, neque captioſa probabilitate fallitur, ſed quodcumque ejus animum veri ſimilitudine, vel oculos veritatis luce percuſſit, tantummodo comprobat. Retinet ſaepe Hippocratis ſententias, eaſque ſic explicat & confirmat, quaſi pro-

baturus omnibus nihil non vidiſſe divinum illum virum, ingenio & experientia duce. Quapropter ſolitus erat dicere (quo de argumento etiam orationem ſcripſit) *nunquam futurum, ut ars noſtra in debellandis morbis, qui adhuç remediis non auſcultant, incrementum capiat, niſi Hippocraticum obſervationum & experimentorum ſtudium fere intermiſſum revocetur.* Triginta & amplius annis in hoc perficiendo opere elaboravit, nec quiſquam inventus eſt tam inſigniter impudens, qui, etſi univerſum de ovis ſyſtema abjudicaverit atque ejecerit, quod tamen plerique hodie ſequi videntur, illi non mirificas tribuerit laudes. Ipſe Carolus VI. Caeſar, qui illud ab auctore dono acceperat, poſtquam totum legiſſet, aureo torque cum numiſmate, & honorificentiſſimis litteris remunerandum putavit. Quoad vixit vero Valliſnerius, nunquam phyſicos hortari ceſſavit, ut in conſtantia perſeverarent inquirendi ova in eorum receptaculis, ut ne parvula quidem titubatione ad ſuam cauſſam defendendam impedirentur. Atque hujus argumenti opportunitate uſus, ut & ſaepe alias, cauſſam quaeſivit monſtroſorum quorumdam

foetuum, nec non vitiorum, a quibus non raro humana membra deformantur; & ſi ea excipias, quae ab imaginoſo feminarum morbo effici poſſe putat, veroſimilia mihi videntur, quae rationem reddunt hujuſmodi naturae aberrationum, in quibus tamen, plus quam reberis, regulas quaſdam ac praeſcriptiones ipſius naturae eſſe cognoveris. Inter haec nonnullis in locis, quae ſunt in ditione Mantuani Ducatus, & Venetae Reipublicae, miſera equi afflictari coeperunt lue, qua de re multi ſtatim exquiſierunt Vallisnerii ſententiam, quaſi hominis, cui nihil occultum eſſet in hiſtoria naturali, quique remedia praeſentibus invenire poſſet malis. Quorumdam vermium originem & progreſſionem perſequitur, a quibus ſaeviter roduntur interiores equorum membranae, quos quidem licet agnoviſſe quoque videantur Varro, Columella & Vegetius, e recentioribus Ruinius, Aldrovandus & Geſnerus, horum tamen nullus ortum ipſorum ab ovis, quae muſcae in ano relinquunt, naturam, formam, mutationes percalluerat. Neque in his rebus omnibus modo diligenter declarandis ſatisfecit

Valliſnerius amicorum deſiderio, ſed etiam adnotavit, quae ad praecavendum horum vermium ortum, atque ad eoſdem jam ortos necandos conducere poſſent. Opus eſt veterinariae medicinae utiliſſimum, ut & illud, quo novis argumentis, noviſque experimentis confirmavit Caroli Franciſci Congroſſii ſententiam de peſtilentiae bubulae cauſſa. Non hanc modo, ſed & ceteros peſtiferos morbos, quibus omne fere animalium genus vexatur, a propriis quibuſdam vermibus cauſſam habere exiſtimat, quorum nonnulli liquida, ut loquuntur, alii ſolida invadunt & turbant. Nequicquam inermi oculo tenuiſſima animalia cernere conaberis, neque ſatis miraberis, ut irrequieta turba, qua nihil genuit natura foecundius, omnes pererrat locos, ova ſeu peſtis ſemen ubique relictura. Hujuſmodi inſecta peſtis cauſſam eſſe ex ipſa remediorum natura conjeceris, quae remedia verſibus ſic expreſſit Horatius Burgundius in eo, quod ad Valliſnerium ipſum miſit, de lue bovina elegantiſſimo carmine.

Prima medela malo eſt flammis abolere relicta
Germina ſerpentis morbi: comburere caras
Agricolae veſtes, inopiſque ſenilia tecti
Pignora ne pigeat: tremulae praeſepia flammae
Delambant, atque omne domus vitium excoquat ignis.
Sulphuris ingrato quandoque abigentur odore
Hoſtes, nitrati lentoque volumine fumi;
Proderit & pingui perfundere corpus amurca;
Vel grave morboſis hydrargyron indere fibris.

Illa cum pertractaret Valliſnerius, quaedam etiam tetigit de phthiriaſi & de ſcabie, horum morborum cauſſam & remedia (haec anthelmintica, quod ad vermes occidendos ſint inventa, a medicis vocari ſolent) exponens, & in ea omnia, quae a ſapientiſſimis viris his de rebus memoriae ſunt prodita, erudite & diligenter inquirens. Dolebat autem quod medici monendi eſſent & objurgandi, quia cum interdum multis ſignis natura declarat quid velit ac quaerat, quid deſideret, quid reſpuat, obſurdeſcerent tamen, nec ea, quae admonerentur, in medicina facienda audirent. Quoniam ad hanc ſcri-

ſendi operam omne ſtudium curamque converterat, & nullum eſſe feraciorem in hiſtoria naturali locum, nec uberiorem, quam de inſectis, magis magiſque intelligebat, ad idem ſaepe argumentum redibat, idque omnium judicio aſſequebatur, ut princeps philoſophorum, qui haec apud nos tractarunt, eſſe exiſtimaretur. Homo vero, qui in maxima celebritate, atque in oculis omnium vivebat, & qui nulli unquam defuit officio, quod pulcherrima Academiae munera exigere videbantur, hoc etiam nomine gloriabatur, quod ea uſurpare poſſet, quae Plinius quondam Veſpaſiano ſcribebat. *Homines enim ſumus & occupati officiis, ſucciſiviſque temporibus iſta curantes, ideſt nocturnis, ne quid veſtris ceſſatum putetis horis. Dies vobis impendimus: cum ſomno valetudinem computamus, vel hoc ſolo praemio contenti, quod dum iſta, ut ait M. Varo, muſinamur, pluribus horis vivimus. Profecto enim vita, vigilia eſt* [1]. Minime vero aſſentior iis, qui ajunt, Valliſnerium in-

(1) Plin. in Hpraefat. iſtor. Natur. Vid. Valliſnerii epiſtolas.

plura diſtractum, minime idoneum fuiſſe ad medicinam faciendam. Scimus enim hac quoque arte & gratiam & gloriam haud vulgarem illum conſecutum fuiſſe, quanquam non eſſet ignarus plerumque medicamenta plus obeſſe quam prodeſſe aegrotis, hoſque cautiſſime ac ſimpliciſſime curandos eſſe. Neque deſunt plura ſcripta illius, quae ipſam practicam, ut loquuntur, medicinam illuſtrant, majora quoque editurus, ſi diutius vixiſſet. Ex iis illud porro magno tum plauſu exceptum fuit, quod de uſu & abuſu balneorum & potuum calidorum aut frigidorum confecit. Plenum eſt alienarum & propriarum opinionum atque experimentorum, ex quibus concludi poſſe videtur veriſſimam eſſe illam Celſi ſententiam: *ego experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimo calida potius an frigida utatur*. Verum cum frigidam probat Valliſnerius, quae iis temporibus magno coeperat eſſe in uſu, moderator & quaſi temperator hujuſce conſuetudinis eſſe voluit, verens ne multi novitatis amore inconſiderate abrepti ad necem ducerentur. Indicat igitur quando, & qua ratione cum utilitatis

ſpe frigidam adhibere poſſimus. Sic vero calidam extollit, ut raro aut nunquam ab ea maleficia timeri, ſaepiſſime vero beneficia ſperari debeant. Prorſus majorem quidem rem nullam ſe ſciſcere putavit ad tuendam valetudinem, quam ut a gelida aqua perpetuo abſtineamus, contra quam ſententiam multa nunc opponi ſolent, quod ad nimium laxatas fibras roborandas, perſpirationemque adjuvandam magnum ſit in gelida praeſidium inventum. Sibimetipſi etiam in eo placebat Valliſnerius, quod non tam argumentis, quam ipſa experientia, in qua tota artis ſuae fiduciam poſitam eſſe dicebat, multorum remediorum atque opinionum vanitatem probaſſet, atque Redii veſtigiis inſiſtens cum in hiſtoria naturali, tum in medicina homines docuiſſet verum a falſo ſecernere. Neque minus de medicina ſe optime mereri putabat, cum omnia adnotaret, quae a ſe animadverſa fuerant in aegrotis curandis, & ex ſuis aliorumque hujuſmodi obſervationibus illa ſcripta contexeret, quibus ad inſtituendos diſcipulos utebatur. Poſſem etiam multis teſtibus planum facere non ignobilem medicum

fuiſſe Vallisſnerium, ſed uno Morgagnio contenti erimus. Hic enim cum ſermonem mecum haberet de eodem, affirmare non dubitavit viro egregio, ſibique multorum conſiliorum ſocietate conjunctiſſimo haud defuiſſe prudentiam in omni re medica ſingularem, ut facile Malpighii diſcipulum & Redii aemulum agnoſceres. Itaque hoc nomine a Carolo VI. uti ſupra commemoravimus, & a Rinaldo Mutinenſium Duce honorificentiſſimis titulis ornatus eſt, & invitatus etiam a Clemente XI., ut defuncto jam Lanciſio, ſibi medicus adeſſet, quod tamen munus aetatem valetudinemque excuſans recuſavit. Sed ut inſtitutam narrationem ejus operum ſummatim perſequamur (non enim puto a me exigi, ut ſingula in iis contenta, quod infinitum eſſet, commemorem) non mediocri in pretio habentur, quae ad Saxoli ſalſam pertinent. Haud longe ab eá via, qua itur ad montem Zibium, qui eſt in ditione Mutinenſium Ducis, collis exurgit mille circiter paſſuum ab oppido Saxolo diſtans, in cujus ſummo planities ſe ſe explicat in latitudinem pedum circiter ſeptuaginta quin-

que late vaſta, ut quae herbis omnibus caret, nihilque niſi lapides & coenum aridum colore cinereo oſtentat. In hac planitie parvus tumulus erigitur in altitudinem pedum trium, iiſdemque lapidibus & luto formatus; iſque in medio ſe ſe aperit, hianſque craterem efficit, cujus os duos circiter pedes in longitudinem patet. Hic illud proprie continetur, quod phyſicos allicit, & vel a Plinii temporibus (1) loco famam fecit. Namque craterem hunc uſque fere ad os materia replet ſoluti coeni perſimilis, coloris ad nigrum vergentis perpetuo aeſtuans & murmurans, quaeque inter aeſtuandum multiplices bullas efficit mox diſrumpendas. Interdum vero ferveſcit validius, ſic ut intra crateris hiatum contineri non poſſit, ſed excedens hac illac paſſim dilabatur. Intus & in illo ipſo, quem diximus, cavo, lapides multi, & variis modis commixti ſimul & confuſi volvuntur, in quibus & marchaſitae obſervatae ſunt, ſicque inter eos lutum cum aqua pervolvitur, tanquam e ſubterraneo ſpecu foras per interca-

(1) Hiſt. nat. lib. II. c. 83.

pedines & rimas in lucem & adſpectum exiret. Hos lapides, ſi quando gurges vehementius exaeſtuat, magna vi atque impetu eructat, & longe projicit ad multos pedes; quibus eructationibus plerumque fragor, fumus, & flamma nonnunquam adjunguntur. Accenſo *petroleo* haec aliaque hujuſmodi tribuit Valliſnerius, cujus in aqua clara & limpida innatantis haud mediocrem ibi copiam collegit. Guſmanus Galeatius vir phyſica doctrina praecellentiſſimus, qui haec ipſa loca poſtea inviſit, non *petroleum* eſſe judicavit, ſed bitumen, quod cum aqua admodum turbida atque obſcura, contra ac viderat Valliſnerius, hac illac diffluebat (1). Ceterum Valliſnerius non hunc modo, ſed & alios *petrolei* fontes indicavit, de quibus cum diſſereret, alia multa in iiſdem locis extantia, quae ceterorum obſervatorum oculos effugerant, expoſuit. Non haec tamen ceteraque, quae ad diverſarum aquarum naturam examinandam indicandamque & fecit & ſcripſit,

cum

(1) Vid. Comment. Acad. Bonon. vol. I. p. 98.

cum percurioſus peregrinaretur in Patavinis, Mutinenſibus, ceteriſque vicinis montibus, politius a ſe fuiſse limata affirmat. Res eſt operoſa, & hominis perdiligentis, & in chemia exercitatiſſimi, quae ad aquarum examen, ſeu ut vocant, analyſim pertinet, quam phyſicae partem ſi leviter tetigit Valliſnerius, in eo quidem ſe maximam percepiſſe laudem arbitrabatur, quod non unius, ſed univerſorum fontium veram originem rerum naturalium ſtudioſis non indicaverit modo, ſed certiſſimis argumentis probaverit. Vetus opinio erat fontes omnes ex imbribus & ſolutis nivibus originem ducere, de qua Ariſtoteles ſatis multa ad ipſam confutandam expoſuit. Viſus eſt eam renovaſſe Vitruvius, ſed illius veritas latuit multis ſaeculis in occulto, quod unius Ariſtotelis auctoritas in omni re phyſica valeret. Ut coepere philoſophi ſervile Ariſtotelicorum jugum a cervicibus dejicere, ſibi utendum eſſe obſervationibus & experientia in fontium origine quaerenda putarunt, & Petrus Perreaultius prae ceteris, libro ſermone Gallico conſcripto, multis rationibus probavit fontes & flumina a pluviis

niveiſque aquis cauſſam habere. Si nihil aliud egiſſet Valliſnerius, niſi ut rem hanc notam faceret Italis ſuis, magnas ei gratias agi par erat; ſed tot argumentis hanc ſententiam confirmavit, tot ſcriptis illuſtravit, tot difficultatibus liberavit, ut cum de phyſica bene mereret, ad inventoris gloriam aſpirare videretur. Platonis, Ariſtotelis, Epicuri, Carteſii, aliorumque jampridem erant exploſae ſententiae; ſed magnum jus diſputandi ii habere videbantur, qui aquam a mari ad fontes deducebant. Siquidem fontes aliqui, aeſtuante mari, effluunt, recedente, decreſcunt, alii, qui prope mare ſunt, ut & putei, magnam vim aquae ſalſae continent; ut alia plurima argumenta, quae ab hujus ſententiae propugnatoribus afferri ſolent, praetermittam. Qui huic adverſantur, ajunt rariſſimos aut nullos eſſe fontes iis in locis, in quibus pluviae raro decidunt, ut in Aegypto interiori, Africa, & Peruviana regione; fluvios omnes plurimum augeri, & late campos omnes inundare, cum imbres ſunt maximi, niveſque ſolis aut ventorum calore ſubito ſolvuntur, contra vero eoſdem

Digitized by Google

minui & ferme areſcere, quando nullae aut rarae ſunt pluviae; non poſſe aquam ex inferiore terrae loco ad ſumma montis cacumina extolli, neque e ſalſa in dulcem converti, conſiderantique montium ſtructuram manifeſtum fieri ad conſervandas, deducendaſque pluvias ac niveas aquas eamdem opportunam atque idoneam eſſe. Ex ipſa quoque organica, ut loquuntur, terrae ſtructura, & quadam ſerie & colligatione montium probabilis ratio afferri poteſt, cur in quibuſdam inſulis, & vel in iis, ubi neque pluit, neque ulli exterius apparent montes, & vel in ipſo mari aquae dulcis fontes erumpant, ad quod confirmandum argumentum plurimum Vallisnerius facere putat ſubterranea flumina, inter quae maxime celebrantur Mutinenſia, quibus cauſſam dare vicinos montes, contentaſque in iis aquas minime dubitari poſſe affirmat. Calculo inito, ſtatuit non plus aquae ad mare quotannis redire, quam quod de caelo pluit, quae & alia hujuſmodi pluribus perſequitur, quod ei propoſitum erat, ſua non modo confirmare rationibus & argumentis, ſed etiam refutare contraria. Plu-

tes haec poſtea philoſophi conquiſivere curioſius, nec quidquam ab iis excogitatum fuiſſe videtur, quod non relatum ſit in Lexicon illud Gallicum toto orbe celeberrimum, cui *Encyclopediae* nomen fecerunt. Non defuere Valliſnerii ſententiae oppugnatores & defenſores acerrimi. Ex iis inter omnes eminuit Nicolaus Gualterius; ex his Gaſto Joſephus Georgius & Joſephus Avanzinius, qui duo ex ipſius Valliſnerii ſchola prodierant. Sed eminuit etiam magis amplitudo animi Valliſnerii his aliiſque adverſariis contemnendis; nam maluit diſſolutus in tacendo, quam vehemens in reſpondendo videri. Verum quantum ipſe abhorruit a litigioſis diſputationibus, tantum amavit pacatas diſquiſitiones, hominesque, qui quidquid eſt lucri libenter in commune conferunt. Quapropter inter ipſius Valliſnerii ſcripta, quae tribus comprehenſa ſunt voluminibus, plurimas invenies doctorum virorum epiſtolas & opuſcula hiſtoriam naturalem mirabiliter illuſtrantia, ex quibus intelliges homines ſummos quidquid obſervaſſent, alterum cum altero communicare conſueviſſe. Hoc feciſſe veteres illos,

qui endo caelo, ut Cicero in legibus loquitur, *merita locarunt*, Hippocratem Coum, & Democritum Abderitenſem, Platonem Athenienſem, & Taurentinum Architam, Varronem, Plinium, alioſque bene multos ſatis aperte eorum monumenta declarant. Quorum exemplum Valliſnerius renovare cupiens multos ad hanc ſtudiorum ſocietatem vocabat, eaeque leges ac pactiones erant, ut ſi alteri aliqua alterius opinio non probaretur, liberum ei ſolutumque eſſet cauſſas, cur eam non probaret, exponere, iſque, qui reprehendebatur, aut potius admonebatur, non modo non laedi ſe ac violari in eo, verum etiam beneficium ſibi tribui putaret. Haec facientes alter alterius induſtriam acuebant, ingenium excitabant, diſcebant denique viciſſim, & viciſſim docebant. Neque illud mediocri argumento eſt Valliſnerium non tam oblatas arripuiſſe occaſiones, collatis multorum ſtudiis, Rempublicam juvandi, ſed etiam ſtudioſe diligenterque perquiſiviſſe, quod ejus non modo conſilio, ſed etiam opera factum eſt, ut extarent ephemerides Litteratorum Italiae, quae Venetiis vulgari ſunt coeptae

anno decimo ſupra milleſimum & ſeptingenteſimum. Plures quidem indicare poſſem, ut loquuntur, articulos ab illo confectos, in quibus tum phyſica doctrina, tum Etruſce ſcribendi elegantia, cui ſemper ſtuduit & in qua ſe excellere poſſe ſperabat, minime vulgaris comparent. Symbolarum quoque collator eſſe voluit, cum Venetiis ederentur libri, qui inſcribuntur *la Galleria di Minerva*, & *la Raccolta di Opuſcoli ſcientifici e filoſofici*; neque mediocria ſunt, quae conceſſit Naturae Curioſorum Academicis, quibus *Centurias* ſuas ornarent, quorumque infra catalogum adtexemus. Conſulentibus vero ſic reſpondebat, & audiendi ſtudioſos ſic docebat; ut neſcias, utrum plus in eo laudaveris praeſtantiam doctrinae, an morum facilitatem. In ipſis ſuis itineribus, cum nanciſcebatur puſillum laxamenti, concinnabat amicis munuſcula, & vel ipſae ejus epiſtolae plenae pulveris & feſtinationis aliquo in pretio habebantur, quod praeter illam laudem verborum continerent multa a ſe, aliiſque ſapientiſſimis viris deſcripta, notata atque praecepta. Erant multa inter Marſilium & Valliſnerium com-

munia, neque bonos exitus habuiſſe illa videntur, quae ad coralliorum & fungorum ortum pertinebant, in quo explicando ii a veritate aberraviſſe judicantur. Accedente ipſius Marſilii cohortatione, multa de marinis corporibus, quae in montibus reperiuntur, diſſeruit, & dum accurate exponit varias de iis philoſophorum ſententias, ejus in judicando dubitatio apparet. Inclinare tamen ad eos videtur, qui putant illa corpora non diluvii reliquias eſſe, ſed maris potius aliquando excelſiora loca occupantis, quae a magnis ad excipiendas aquas, apertis cavernis, reliquiſſe creditur.

. . . Vidi factas ex aequore terras,
Et procul a pelago conchae jacuere marinae
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.(1)

Multa attulit Vallisnerius huic convenientia ſententiae, quam Leibnitio quondam ſe probaſſe gloriabatur. Ab eo enim ſaepe, quod ad ejus famam plurimum valere arbitror,

(1) Ovid. metam. Lib. XV. ſar. IV.

de rebus naturalibus conſulebatur. Sed cum ipſe ſecum diu meditatus eſſet, quae huic opponerentur opinioni, eam ſi non veram, probabiliorem certe, ac vero ſimiliorem eſſe judicavit. Neque illud erat ex ejus ſententia mediocre probabilitatis argumentum, quod montes, in quibus illa copia invenitur concharum, oſtreorum, cheramidum, aliorumque hujuſmodi corporum mare proſpectant; neque in magnam extolluntur altitudinem. Quod argumentum cum Marſilii & Galeatii obſervationes quoque confirmaſſent, pluribus, qui per montoſa loca iter habebant, auctor erat Vallisnerius, ut rem eamdem inquirerent. *Quid enim haec ſcribentes* (ait ille) *aliud agimus, niſi ut multorum ſtudia commoveamus? Cur autem non illud ſperamus fore ut dimetientes in quoque monte altitudinem, quatenus marina corpora paſſim diſperſa ſunt, inveniant; ea ad idem uſque horizontale planum, omnibus in locis adſcendere: ultra quod planum, ſi qua extant culmina, ea marinis corporibus prorſus careant, ſic ut quod mihi aliiſque paucis philoſophis ſuſpicari licuit, liceat aliis in poſterum, vel ſcire vel opinari. Quod qui efficient, efficere au-*

tem niſi metiendo obſervandoque nemo poteſt; *nae illi hiſtoriam naturalem praeclaro invento locupletaverint*. Dum haec tractaret, non alienum a propoſito eſſe putavit de diluvii quoque effectibus, de annoſo aevo hominum, qui ante diluvium vixere, aliiſque hujuſmodi ſcitu dignis diſſerere, quae & laudatores & reprehenſores habuere. Ex his unus extitit, qui librum vulgavit (1) ut probaret Valliſnerii dubia quaedam, ſeu potius argumenta cum ſacris litteris minime congruere, & de tota hac re ſic diſputat, quaſi illa, quae affert, convelli ac labefactari non poſſent; tanta eſt confidentia, ſeu potius audacia eorum, qui naturales quaeſtiones ſola ſacrorum librorum auctoritate confici poſſe arbitrantur; quaſi vero aequitas, quae in explicando jure civili tantopere laudatur ab interpretatione divini codicis, cujus, Paullo teſte, littera occidit, ſit excludenda. Sed Valliſnerius non mediocrem fructum ex hoc opere ſe per-

(1) Huic titulus. *La verità del diluvio univerſale vindicata dai dubbj, e dimoſtrata nelle ſue teſtimonianze; eſame critico dell' Avvocato Giuſeppe Antonio Coſtantini autore delle lettere critiche*, *Venezia* 1747.

cepiſſe exiſtimavit, quod illud perplacuerit Cleliae Borromeae, cui ipſum inſcripſerat, cuique ſe omnium officiorum religione obſtrictum eſſe putabat. Suſpiciebat feminam humanitate, ingenio ac in litteras amore nulli ſecundam, ſingularia ab ipſa acceperat beneficia, & cum Mediolani apud eamdem diverſaretur, acri ac vehementi incitatione ſemper inflammabatur ad aliquid novi in naturali hiſtoria inveniendum, atque in lucem hominum promendum. Quantum haec ſocietas ſibi profuerit, narravit amico per epiſtolam, eamque narrationem, cum graviſſima atque ornatiſſima laudatione nobiliſſimae feminae conjunxit (1) cujus non ultimam laudem eſſe dicebat, quod ſui contemptrix ſexus curas & inania vulgi gaudia irrideret. Coram ea quoque diſputavit de viperarum veneno; & correctione quadam adhibita, omnem Redii ſententiam, quem potiſſimum ſequebatur, accuratiſſime expoſuit. Miror equidem eum putaſſe remedium huic veneno eſſe poſse illud herbae genus, quod a Bo-

(1) V. Ved. I. p. 355.

tanicis *aſter montanus* vel *aſter Italorum* appellatur. Haec eſt gravium hominum atque magnorum conſuetudo, ut vel ipſa oblectamenta cum ſua, aliorumque utilitate velint eſſe conjuncta. Eodem tempore & ſua ſponte, & ipſa ſapientiſſima femina hortante, dabat operam ut lexicon philoſophicum eſſet, in quo de rebus ipſis praeſertim ad phyſicam pertinentibus breviſſime diſputaretur, & quo Italica lingua efficeretur plenior aliquando. Nec vero arroganter hoc a ſe dici exiſtimari volebat, quod poſtquam aetatem conſumpſiſſet in inveſtiganda natura, poſſet ea quae teneret (quoniam in hoc quoque ſtudio plurimum elaboravit) apte, diſtinte atque etiam ornate exponere. Ex iis, quae ad nos pervenerunt [opus enim incohatum reliquit] judicari ſane poteſt de ejuſdem operis utilitate, & quod inſervire potiſſimum Auctor voluerit iis, qui rerum phyſicarum non admodum periti eſſent, ſatis oſtendit aliorum commodum ſuae ſemper gloriae ipſum antetuliſſe. Nec dubium quin magno cuique viro plurimum debeatur, qui in collocanda opera & ſtudio hoc maxime officii eſſe pu-

tavit, ut quiſque maxime opis indigeret, ita ei potiſſimum opitulari. Cum igitur doctrina Valliſnerii ad omnes pertineret; elucerentque in ejus moribus naturalia principia ſocietatis & conjunctionis humanae ejus amicitia atque conſuetudo appetebatur ab omnibus, & delectabat hoc ipſo, quia quemadmodum pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet & allicit oculos, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt, ſic ille movebat approbationem & caritatem eorum, quibuſcum vivebat, quod ordinem, conſtantiam, moderationemque dictorum omnium atque factorum ſervaret. Nec ſolum ad quemdam quaſi ornatum vitae pertinere arbitrabatur temperate; modeſte, graviter; ſimpliciter; fideliter atque hominibus amice vivere, ſed etiam placabilitate atque clementia uti in adverſarios, omnemque moroſitatem inutilem atque odioſam vitare. Mirum vero minime videri debet homini licet moribus facillimis & commodiſſimis non defuiſſe adverſarios, cum perpetuam ſibi propugnationem ſuſceperit pro veritate in naturali hiſtoria, idque curave-

ſit, ut philoſophi ea, quae plerique tum expetebant, & de quibus inter ſe digladiari ſolebant, veluti inaniſſima prudentiae contemnerent, ac pro nihilo ducerent. Sed in cenſorum aut acerbitate aut iniquitate facile ſe conſolabatur, & maxime illo ſolatio, quod ex ſapientiſſimorum hominum praeconiis & nobiliſſimarum Academiarum teſtimoniis (1) accipiebat. Solent nonnulli in explicandis hominum doctorum vitis minuta diligentia hujuſmodi laudationes conquirere atque referre, quem quidem morem neque reprehendere, neque imitari auſim. Et praeconium & grave teſtimonium impertitum clari hominis magnique Valliſnerio a Florentinis fuiſſe arbitror, cum numiſma cudiſſent, quod memoriam poſteris proderet ejus praecipuorum inventorum, earumque rerum, in quibus ipſe viſus eſt ſtudioſius elaboraſſe. Neque exiſtimaveris hominem diſcendi ſtudio impeditum ea deſeruiſſe, quae diligens pater familias

(1) Anno MDCCXXV. in Academia Senenſi propugnatae ſunt publice praecipuae concluſiones, quas in omni re phyſica ſtatuerat Valliſnerius Vid. Tom. III. oper. Valliſ. p. 623.

tueri debet. Duxerat jam ab an. MDCXCII. uxorem Lauram Mattacodiam, ex qua duodeviginti liberos ſuſcepit, in quibus educandis tanta cura & diligentia fuit, ut in hoc quoque genere laudis ſtuduerit excellere. Dici vero non poteſt quanto perfruebatur gaudio, cum videret Antonium, qui e multis maſculini generis ſuperfuerat, ſic patris perſequi veſtigia, ut ad eas laudes, quas a majoribus acceperat, additurus eſſet aliquam ſuam. Quo vero commoda haberet ingenii & induſtriae exercendae, muſeum, bibliothecam, aliaque plura glorioſo quaeſtu parta ei reliquit, juſſitque eum ſic delectari re ſua familiari, ut haec non luxuriae, ſed liberalitati ac beneficentiae pateret. Haec praeſcripta ſervantem (nam an. MDCCXXXIV. Academiae Patavinae paternum muſeum (1) omni rerum naturalium copia refertiſſimum dono dedit) Senatus ſimplicium, ut vocant, ſcholae praefecit, novique conditi muſei in ipſis Academiae aedibus curam commiſit.

(1) Catalogum rerum in hoc muſeo aſſervatarum vide apud Facciolatum: *Faſti Gymnaſii Patavini p.* 407.

Nihil autem ei erat jucundius, quam ponere ſub aſpectu ſtudioſiorum quaeſita a patre, de his diſſerere, & pene ipſum devocare ab tumulo ad ſua efferenda inventa. Neque hujus ſui effuſi in patrem ſtudii mediocre indicium dedit, cum praefaretur univerſis illius operibus, quae in tria volumina diſtributa cum ejuſdem vita anno MDCCXXXIII. in vulgus edidit, ex qua praefatione licet demenda quaedam putaveris, omnia tamen libenter accipies, quod profeſſione pietatis aut laudanda ſunt aut excuſanda. Quod autem proemii genus maxime conveniret, non eſt hominis ſemidocti, qualis profecto ego ſum, judicare; quanquam, mea quidem ſententia, non glorioſe magis a veritate, quam a neſcio qua dignitate ille exordiretur, qui miro candore ac diligentia exploſas ejectaſque a Vallifnerio veterum opiniones, veluti in tabula, repraeſentaret iis ex Pindaro uſurpatis carminibus (1).

(1) Olymp. in principio.

Vana ſed haec memorans vetuſtas
Impune gentes decipit, & venus
Antiqua Vatum callida muſico
Condire ſermones lepore,
Dat nebulis aliquando pondus;
Fidemque falſis arrogat: at dies
Seris recludit cuncta nepotibus.

Quamvis homo in ſtudiis philoſophiae perpetuo occupatus ita vixerit, ut fruſtra ſe natum non exiſtimaverit, diſceſſit tamen ex hac vita, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo, eas ſpectans ſedes, ubi in omni aeternitate ſe beatum fore ſperabat. Sepultus eſt Patavii apud Eremitas Auguſtianos cum hac inſcriptione.

D. O. M.

ANTONIO VALLISNERIO
ARTIS MEDICAE ASSERTORI EXIMIO
NATURALIS HISTORIAE AC PHIL.
RESTITUTORI CELEBERRIMO
SUMMIS HONORIBUS UNDEQUAQUE AUCTO
ANTONIUS FILIUS MOER. P.
OBIIT XV. KAL. FEB. ANNO SALUT.
MDCCXXX. AET. LXVIII. MENS. VIII.

Quam omnibus eſſet carus tum maxime cognitum eſt. Nam quamdiu valetudine implicitus jacuit (jacuit autem ad ſeptem uſque dies) qua cura, qua ſollicitudine animi, quo timore univerſa civitas fuit! Ubi vero de ejus morte auditum, omnium ordinum extitit moeror, ut non alienigenam, ſed civem omnibus rebus praecellentiſſimum lugere viderentur. Etenim ita ſe perpetuo geſſerat (quod ad conciliandam benevolentiam plurimum ſemper valuit) ut neminem laederet, prodeſſet quamplurimis.

OPERA EDITA.

HAec tribus voluminibus comprehenſa ſunt, ac typis Venetis edita apud Sebaſtianum Coletum an. 1673. Extat autem in primo vol.

Dialoghi due con annotazioni della curioſa origine degli ſviluppi e de' coſtumi ammirabili di molti inſetti.

Oſſervazioni intorno i nidi d'alcuni inſetti finora occulti.

Datteri o dattili come ſi trovino dentro i marmi e Ballari o Ballani, dentro la creta duriſſima ſotto l' acqua del mare.

Oſſervazioni intorno a un crine di cavallo dentro un uovo; intorno a'vermi nati dentro un uovo di lodola, e intorno alle cavallette o locuſte che mangiava nel deſerto S. Giovanni.

Conſiderazioni ed eſperienze intorno al creduto cervello

di bue impietrito vivente ancor l' animale:

Conſiderazioni ed eſperienze intorno alla generazione de' vermi ordinarj nel corpo umano.

Eſperienze ed oſſervazioni intorno all' origine, ſviluppi, e coſtumi di varj inſetti con altre ſpettanti alla naturale e medica ſtoria. *Sub hoc titulo habes*

... Oſſervazioni intorno alla moſca de' roſai.

.... Rifleſſioni intorno alla maniera ſinora creduta del naſcer degli inſetti.

.... Idea nuova di una diviſion generale degl'inſetti.

.... Lettera al Sig. Giambatiſta Andriani, nella quale ſi dà notizia della nuova ſcoperta dell' origine delle pulci dell' uovo, e del ſeme dell' alga marina contro i difenſori de' naſcimenti ſpontanei.

.... Deſcrizion della naſcita, vita, mutazioni, coſtumi, e moſca del verme del naſo, o della caverna della fronte delle pecore, de' montoni, de'caſtrati, delle capre, de' daini, de' cervi o ſimili.

.... Ragionamento dell' eſtro de' poeti, e degli armenti.

.... Notomia dello ſtruzzo.

Nuove oſſervazioni ed eſperienze intorno alla ſtoria medica e naturale.

.... Nuova ſcoperta dell'ovaja e dell' uova de' vermi tondi de' vitelli e degli uomini.

.... Polipo viperiforme.

.... Lettera a Monſig. della Torre ſopra il ſiſtema della generazione de' vermi ordinarj del corpo umano.

.... Prove di queſto ſiſtema cavate da' Franceſi.

.... Lettera al P. D. Antonio Maria Borromeo intorno al detto ſiſtema.

.... Rara iſtoria d'una fanciulla nata ſenza cranio e con un pezzo di carne in luogo di cervello.

.... *Epiſtola ad Jacobum Mangetum*.

Nuova aggiunta di oſſervazioni ed eſperienze intorno all' Iſtoria medica naturale non ſolamente del Sig Valliſneri, ma di altri celebri autori a lui ſcritte con annotazioni e rifleſſioni del medeſimo.

.... Lettere fiſico-mediche intorno all' origine del morbo detto pedicolare e ſuoi rimedj.

.... Lettera al Sig. Gaſton Giuſeppe Giorgi intorno varie rarità, oſſervazioni ed eſperienze ſpettanti all' iſtoria medica e naturale.

.... Lettera di Vittorio Franceſco Stancari con annotazioni del Valliſneri, in cui ſi parla del ſeme di Gebel-Indi.

.... Notizia d'alcuni ſemplici portati dal Sig. Spoleti da Coſtantinopoli, e come colà ſi medichino coll' arſenico preparato.

.... *Epiſtolae Valliſnerii ad componenda diſſidia inter Carolum Richam & Bartholomaeum Curtium*.

Iſtoria del Camaleonte Affricano e di varj animali d'Italia.

.... Rifleſſioni intorno i ramarri, le rane, botte, ranocchj, e ſalamandra.

.... Camaleonte del Meſſico, o Scelembì.

.... Quadrupedo del Meſſico preſo per un coccodrillo.

.... Della remora.

In ſecundo volumine haec continentur.

Nuove oſſervazioni intorno alla coſtituzione verminoſa ed

epidemica, ſeguita nelle cavalle, cavalli e puledri del Mantovano e di queſto Sereniſſimo dominio di Venezia.

— Lettera al Sig. Carlo Franceſco Cogroſſi, in cui ſi apportano nuove oſſervazioni e rifleſſioni intorno al mal contagioſo de' buoi, ſi cavano nuovi indicanti, e nuovi rimedj ſi propongono.

— Giunta I. de' vermi peſtilenziali de' buoi.

— Giunta II. de' vermi peſtilenziali in generale.

— Parto maraviglioſo di veſcichette, con un' eſatta ricerca che coſa poteſſero eſſere, accaduto in Scandiano l'anno 1690.

— Oſſervazioni intorno le brume delle navi.

— Deſcrizione di un vitello moſtruoſo.

— Fori ſcoperti nel pungiglione dello ſcorpione Affricano.

— Vita e coſtumi d' una rara locuſta.

— Diſeſa di Livio dalle calunnie del Lancellotti che lo deriſe, perchè ſcriſſe, che pioveſſero ſaſſi.

— Naſcimento di funghi da una meninge umana.

— Oſſervazioni intorno al fiore dell' Aloè Americana ed al ſugo ſtillante dal medeſimo.

— Relazione di varj moſtri con alcune rifleſſioni.

— *De arcano lenticulae paluſtris ſemine ac admiranda vegetatione.*

— De' fiori della lenticula paluſtre.

— Nuova ſcoperta dell' uova, ovaja, e naſcita delle anguille &c.

— Pietra trovata nella veſcica d' un cavallo di figura triangolare ottuſa.

— Inſetti marini ſimili alle patelle o cimici degli agrumi.

.... Scarafaggio notturno marino.

Iſtoria della generazion dell' uomo e degli animali con un trattato della ſterilità e ſuoi rimedj, una lezione Accademica intorno all' ordine della progreſſione, e della conneſſione che hanno inſieme tutte le coſe create, ed alcune lettere, iſtorie, deſcrizioni, e figure di varj moſtri ſpettanti al trattato della generazione.

De' corpi marini, che ſu' monti ſi trovano, della loro origine e dello ſtato del mondo avanti il diluvio, nel diluvio e dopo il diluvio, lettere critiche colle annotazioni, alle quali ſi aggiungono tre altre lettere critiche contro l' opera del Sig. Andry Franceſe e ſuoi giornali *Extremo in libro extat*

... Giunta alla Anatomia del Camaleonte Affricano sì intorno alla figura eſterna della lingua, come alla ſua ſtruttura, e in terzo luogo intorno agl' iſtrumenti da' quali con tanta velocità viene lanciata.

Raccolta di varie oſſervazioni ſpettanti all' iſtoria medica e naturale ſcritte agli eruditi.

.... Viaggio per i monti di Modena.

.... Eſtratto di notizie intorno l' erba Fumana ec. al carbon foſſile, ed alcune fontane minerali, di varj legni, e chiocciole impietrite e di altre curioſità naturali.

.... Stato preſente della Salſa di Saſſuolo, e nuove notizie de' fonti dell' olio di ſaſſo, che ſcaturiſcono al lembo della medeſima.

.... Giunta alle oſſervazioni dell' olio di ſaſſo.

.... Frammento ſpettante alla mentovata Salſa di Saſſuolo, dove ſi dà notizia d' una nuova ſalſa di Querzola.

.... Altra nuova ſalſa di Caſſola.

.... Notizie intorno varie acque termali, e in primo luogo delle famoſe de' colli Euganei.

.... Altre terme deſcritte.

.... Terme e bagni della Turrita nella Garfaniana.

.... Terme di Quara ſu' monti di Reggio.

.... Acque termali di Rubiana.

.... Nuove oſſervazioni intorno l'acque della Pieve di Garfagnana.

.... Fonti limpidi di Vitriola, che tingono in nero.

.... Miracolo falſo ſcoperto del lago di Scaffajolo, o Scalfagiuolo.

.... Fonti amari, ſalſi, ſulſurei, dolci ne'colli vicini a Scandiano.

.... Oſſervazione nell' acqua di Brandola.

.... Sedimento dell' acqua del Caſtello di S. Pietro; e d' un' altr' acqua d' una terra detta di Serravalle, di cui ſi ſervono i contadini per eſtirpare quel tumore, che naſce nel collo detto volgarmente gozzo.

.... Fonte chiamato pronoſtico o profetico poco lontano da Modena nella pianura vicina al Panaro.

.... Oſſervazioni intorno alle ſcaturigini dell' acque termali.

Dell' uſo e dell' abuſo delle bevande e bagnature calde o fredde.

In Vol. III. continentur.

Lezione Accademica intorno l' origine delle fontane colle annotazioni per chiarezza maggiore della medeſima, coll' aggiunta di varie lettere diſſertatorie, un' altra lezione Accademica, oſſervazioni, ragioni, ed eſperienze nuo-

re dimoſtranti la verità del propoſto ſiſtema colla riſpoſta alle objezioni del Sig. N. N. compilata da Gaſton-Giuſeppe Giorgi medico e fiſico Fiorentino.

Raccolta di varie oſſervazioni ſpettanti la ſtoria medica e naturale pubblicate già nella Galleria di Minerva, nell' Eſemeridi dell' Accademia Ceſareo-Leopoldina, ne' Giornali d' Italia, ed altri libri, ed alcune non più ſtampate.

.... Lettera dell A. per la nuova ſcoperta dello zucchero di latte.

.... Relazione concernente allo zucchero di latte.

.... Eſtratto di varie lettere medico-fiſiche mandate dall' A. in diverſi tempi al Sig. Aleſſandro Pegolotti.

.... Eſperimento felice ſopra una ſua cagna, cui avea cavata la milza.

.... Notizie ſopra la vera patria, ed altre coſe ſpettanti a Monſig. Sebaſtiano Pighini Cardinale.

.... Eſtratto d' oſſervazioni medico-fiſiche.

.... Altro eſtratto di medico-fiſiche oſſervazioni.

.... Eſtratto di lettera dell' A. al Sig. Bernardino Zendrini.

.... Diſcorſo Accademico, nel quale ſi cerca, ſe la digeſtione dello ſtomaco ſi faccia dall' acido.

.... *De chinae chinae in febribus utilitate.*

.... *Rectae rationi non repugnare, quod ſpiritus vini in febribus uſurpetur, & verum ipſarum remedium conſtituatur.*

.... Due lettere ſcritte al P. D. Mauro Vallíſneri.

.... Diſcorſo accademico ſopra il medico problema ſe ſi debba, o non ſi debba cavar ſangue nella doglia di coſta.

.... *Quod ſanguis debeat extrahi in febribus tertianis.*

.... Lettera nella quale ſi fa vedere ſtare naſcoſto l'acido dentro la bile.

.... Novità letterarie medico-fiſiche.

.... *Varia phaenomena medica.*

.... *Febrium idea ex Hippocrate.*

.... Abbagliamenti medicinali ſopra gli effetti della china china, e d'altri febbrifugi.

.... Data la circolazione del ſangue, ſe ſi debbano ammettere i defenſivi.

.... Lettera ſopra il particolare de' defenſivi.

.... Oſſervazioni fatte nel preſcrivere varj rimedj.

.... Lettera al Sig. Gio. Batiſta Davini.

.... Riſpoſta ad un avverſario ſopra i difenſivi.

.... Lettera al Sig. Giuſeppe Lanzoni.

.... Incertezza d'alcune ragioni intorno all' aria di Venezia.

.... Iſtoria del cadavere aperto del Sig. NN.

.... Ragione contra i veſcicanti.

.... Se il vino debba concederſi ai febbricitanti ne' noſtri paeſi.

.... *An vapores, an materia aliqua cauſet epilepſiam.*

.... Vie dell' aria nella ſeconda corteccia dell' uova.

.... Sputo in una pleuritide verminoſo.

.... Botte piccole acquajuole notate nelle acque ſtagnanti.

.... Aggiunta all' oſſervazioni delle vie dell' aria nell' uova.

.... Caſo raro d'uno, che non poteva più inghiottire coſa alcuna per l'eſofago.

.... Eſtratto d'Oſſervazioni medico-fiſiche.

.... Lettera al Sig. Gio. Giacomo Mangeti.

.... Lettera a S. E. D. Carlo Filiberto d' Eſte.

.... Lettera in cui ſi diſcopre la rara ed aſtuta maniera di fabbricare un microſcopio ingannatore.

.... Elogio della Sig. Conteſſa Beatrice Papafava Cittadella.

.... Eſperienze intorno la virtù della terra bianca di Malta ec.

.... Fonte d' acqua ſalata ſuppoſto nella cima del monte Sciale.

.... Memorie ed inſcrizioni ſepolcrali del Conte Matteo Maria Bojardi ec.

... Lettera intorno al Planisferologio inventato dal Sig. Facini.

.... Catalogo d' alcune rarità del muſeo del Sig. Ab. Co. Gio. Antonio Baldini.

.... Catalogo de' Re del Mogol, i ritratti de' quali ſerbanſi nel muſeo ſuddetto.

.... Che ogni Italiano debba ſcrivere in lingua purgata Italiana o Toſcana.

.... *De vomitu mulieris 95. annorum meracae bilis & viſcoſiſſimae pituitae, non eodem tempore, ſed eadem die.*

.... *Hydrops aſcites ec.*

.... *De abſceſſu in capite, ac inde morte.*

.... *De urina potus diverſa ab urina ſanguinis.*

.... *Alvo ſtyptica, urinae quantitas diminuta, obediente copioſa.*

.... *De vi diuretica decocti Saſſaphras in deſperata hydrope.*

.... *De chinae chinae vi mira in febre tertiana mali moris.*

.... *Examen experimenti Louveriani.*

.... *An ablata plethora per duas v. g. venae ſectiones,*

poſſit in eadem febri tertio, vel quarto ſanguis educi.

.... *De loco Galeni* 10. *M. M. cap.* 10. *ec.*

.... *De aqua calida, fomentorum calidorum probatiſſima.*

... *De loco Galeni de Vict ratione in morbis acutis: lib. II. cap.* 10.

.... *Hippocrates curans virum in Aeniadis copioſi ſanguinis emiſſione praebuit ſe medicum Empyricum, non philoſophum.*

.... *Acidus ſuccus ſero ſanguinis commixtus concretionem ejus impedit.*

.... *Singularis diarrheae cura.*

.... *Aſphyſia diuturna.*

.... *Venae ſectionis uſus in menſium defectu.*

.... *Venae ſectio frequens innoxie instituta.*

.... *Venae ſectio utilitas in puerpera instituta.*

.... *Menſtrua a venae ſectione maturius erumpentia.*

.... *De venae ſectione in lienoſa.*

.... *De venae ſectione in Erypelate.*

.... *Dolor capitis ſanguinis emiſſione curatus.*

.... *Diuturnarum febrium cura.*

.... Indice delle piante che ſono attorno Livorno.

.... Relazione d' una vipera, che ha partorito i viperini per bocca, e riſpoſta dell' Autore.

Eſtratti varj d'oſſervazioni del noſtro Autore con annotazioni ſue o di altri a lui mandate.

Saggio d' iſtoria medica e naturale colla ſpiegazione de' nomi alla medeſima ſpettanti poſti per alfabeto.

Conſulti medici.

Raccolta d' alcune lettere ſcientifiche ſcritte a' ſuoi amici, e d' altre miſcellanee.

Miglioramenti e correzioni d' alcune eſperienze ed oſſervazioni del Sig. Redi fatte dal Sig. Antonio Valliſneri, e regiſtrate da Girolamo Gaſpari Veroneſe.

ANGELUS FABRONIUS

NATALI SALICETO

PII VI. PONT. MAX. ARCHIATRO

S. P. D.

Cupio equidem, & jampridem cupio retexere quae antea vulgaveram, & ſic eruditorum deſiderio in explicandis clarorum hominum vitiis ſatisfacere, ut intelligant quae laus unicuique debeatur, quidque a ſingulis geſtum ad ſcientiarum incrementum, & ad errantes homines deducendos in viam. Profecto nihil tam difficile; nihilque tam longum quam veritatem in omni re, praeſertim phyſica, aſſequi, & quamvis nullo non tempore homines excoluerint artes, in quibus non jam animi libera quaedam oblectatio, ſed utilitas quaeritur neceſſaria, quod iis generis humani ſalus propoſita ſit, mirari tamen ſubit mediocrem ad veritatem factam eſſe progreſſionem, cujus rei non alienum a propoſito eſſe videtur hoc loco, quo de Lanciſio medico ſane nobiliſſimo ſcribendum ſuſcepimus, cauſſam inqui-

vere. Latet natura obſcuris involuta tenebris; neque ſine infinita diligentia atque induſtria quiſpiam ad ejus latebras accedere poteſt, magiſtra atque duce obſervatione atque experientia. Harum alterius ope qualitates corporum, quae ſub ſenſum aliquem cadunt, morborum curſum, eorum phaenomena, & remediorum effectus novimus, per alteram intelligimus quae ſit ſtructura & vis partium, quae compoſitio, ut vocant, mixtorum, quae ſint proprietates corporum, quae in vaſis fluunt. Atque haec duo minime ſejungi poſſunt, ſeparatimque excoli, cum conjurent amice, & altera alterius omnino poſcat opem atque auxilium. Enim vero quis dubitabit obſervationem ſaepe erroris cauſſam eſſe, cum videat vel eos ipſos, qui mire inter ſe diſſident, magnam obſervationum copiam in medium afferre ad contrarias opiniones comprobandas? Ex hoc quidem fonte infiniti in medicinam dimanarunt errores, quorum adeo altae fuerunt radices, ut niſi ſummo labore ex hominum animis evelli potuerint. Verum ego hanc vim intelligo eſſe in obſervationibus, ut eas qui adhibuerint, non medicorum laudem ſint conſecuturi, niſi phyſicorum experimentorum auctoritate & teſtimonio eaſdem con-

firmaverint; cum harum duarum rerum tantummodo, non hominum, quamvis medicinae faciendae ſcientiſſimorum, conſenſum vocem eſſe naturae exiſtimare debeamus. At non minus phyſica experimenta obſervationum ſubſidio indigent, quod ut exemplo apertum faciamus, poſtquam Harveus medicis probavit vitalem vitam a ſanguinis circuitu pendere, ii inde inferri poſſe putarunt, fruſtra remedia ad quaſdam corporis partes apponi; cum ad omnes facile per circumfluentem ſanguinem traducantur, quod a veritate alienum eſſe ex multis ſapientum hominum obſervationibus cognovimus. Neque his modo phyſica experimenta confirmamus, ſed etiam ad nova tentanda impellimur, & manu veluti ducimur. Noverant chirurgi ligamentis cohiberi ſanguinem, illaque laxanda quoties ex ſecta vena ſanguis eſſet emittendus. Latuit diu hujus phaenomeni cauſſa. Homines in illa quaerenda toti occupati invenerunt tandem circumeuntis ſanguinis motui ipſam tribuendam, neque hoc, neque alia hujuſmodi multa potuiſſe unquam aperiri ſine obſervandi & experiendi artibus, quas artes utpote inter ſe dignitate pares, & ejuſdem ſocias facultatis nunquam non exercendas ab rerum naturalium ſtudio-

ſis tum maxime docuerunt. Id quidem minime difficile eſſet, ſi aliud ageretur nihil niſi ut quaedam obſervationes atque experimenta ratione quadam componerentur. Sed longum iter ingredientibus undique ſe ſe difficultates offerunt, neque cuiquam licet vel extremis, ut dicitur, digitis veritatem attingere, niſi ad ſummam prudentiam magnus uſus accedat, quibus maximo labore a ſe collecta diſponat, conferat, atque perpendat, cohibeatque a rebus incertis aſsenſionem, & ab omni lapſu temeritatem. Neque magnopere noſtris laboribus nos confidere oportet, cum ex conſenſu & conſpiratione multarum obſervationum, atque experimentorum, quae per plura ſaecula habita ſunt, exiſtat medicina. Quapropter execrabimur illorum impudentiam, qui cum perpauca per ſe teneant, magna profitentur, & ea, quae maxima ſunt in arte ſalutari, ſine multorum ſubſidio & diuturni temporis uſu conſequi ſe poſſe confidunt. Is erit perfectus medicus, qui prudentiſſimorum ſcientiam, ut ita dicam, ſibi aſſumpſerit, noveritque hominem cum homine, tempus cum tempore, rem cum re comparare, & dum facta, & de iis doctiorum opiniones ſagaciter inveſtigat, convertat animum ſaepe ad obſervatio-

Digitized by Google

nes atque experimenta, ut lumen reddat iis, a quibus ſe accepiſſe gloriatur. Qui ſecus fecerit ſciens inſanire, & inſignia facultatis ad ludibrium impudentiae uſurpare videtur. Magnus ille Boerhaavius, quo neminem in medicina doctiorem noſtram tuliſſe aetatem vere videor poſſe contendere, hanc ſibi propoſuerat exercitationem, ut quae a ſe obſervata eſſent in uſu & tractatione quotidiana medicinae ad ſtudia doctrinae referret, & non raro a ſe ipſo ſciſcitaretur non quot aegrotos vidiſſet curaveritque, ſed quot progreſſus effeciſſet in morborum cognitione, cujus ſane exemplum digniſſimum judico, quod omnes medicinae ſtudioſi ſibi ad imitandum proponant. Addebat immortalis ille vir, cum cauſſam ageret medicinae; homine acuto ſibi opus eſſe, & natura uſuque callido, & in phyſica praeſertim exercitato, qui principia & cauſſas rerum inquirat in remediorum natura, in morborum ſignis & origine, & in oeconomiae, ut loquuntur, animalis legibus, ſemperque meminerit quantis erroribus praejudicatae opiniones, auctoritas ſine ratione, credulitas, facilitas fabricandi ſyſtemata, dogmata pronuntiandi, omneſque umbras non jam veritatis, ſed probabilitatis & veriſimilitudinis conſectandi me-

dicinam inquinaverint. Magno ſane in pretio habenda ſunt artis praecepta quae ipſa rerum natura lente & patienter interrogata, minime vero hominum ingenia ſibi unice fidentia pepererunt; & ſi nimium pauca nobis ſcire videbimur, liceb it interdum uti conjectura atque analogia, quae ad dilatandos eorumdem praeceptorum anguſtos limites plurimum condacere poſſunt. Sed ratio hoc poſtulat, ut caute his ducibus utamur, quamvis per eas ad magnarum rerum inventa homines abundanti doctrina pervenerint. Verum ſi medio-cria ingenia, neque multis exculta diſciplinis, iis ſe tradent, & quae ex veri ſimilitudine, & ſimilium rerum comparatione inferre ſe poſſe credunt ad artis uſum ſtatim transferent, multis ſe homicidiis contaminabunt, & ut Plinii verbis utar, animas aegrotorum negotiari videbuntur. Facile in errorem labimur, neque ſine ſumma difficultate ab eo deduci poſſumus, ac ſaepe evenit ut obſervationes, quae ipſum extorquere, aut ſaltem infirmare debuiſſent, mirifice corroborent. Ingenia obtundi nolo, quaſi iis vetitum ſit rerum cauſſas inquirere & noſcere, & in inveniendis theoriis elaborare. Sed antiquorum exempla in hujuſmodi inquiſitionibus (quis enim ignorat quantum ipſi

tribue-

tribuerint acido, alkali, fermentationi ſanguinis, ac lymphae denſitati in omnium pene morborum cauſſis explicandis?) nos cautos, & pene timidos reddere debent, niſi ſapientum irriſione illudi velimus. Neque veteres modo ſed & recentiores multa fallacibus judiciis conjecerunt, & Augiae ſtabulum repurgandum ſuſciperet, qui temerarias & periculoſas conjecturas ex eorum libris expungere vellet. Poſtquam mira vis hydrargyri cognita eſt in omnibus venereis, & quibuſdam aliis morbis, praeclarum ac tutum inventum eſſe remedium pleriique exiſtimarunt ad ulcera, ad ſcorbutum, ad chronicos, atque ad omnes pene ſanandos morbos, quo quantum allatum ſit detrimenti, malo in aliorum judiciis relinquere, quam in oratione mea ponere. Non contemnamus ea, quae homines prudentes diuturno uſu quaſi divinarunt, ſed redeamus ſemper ad illud, unde divertimus, ad obſervationem ſcilicet atque experientiam, per quas unice in omnium fallaciſſima arte fidem, auctoritatem & firmamentum noſtris effatis adjungere debemus. Verecundius haec tecum loquor, quod indigna eſſe putem iſta ſingulari ſapientia tua, ac tuis auribus; ſed fortaſſe non inutile erit adoleſcentibus iſta legere, quod ſtudia nihil proſunt

perveniendi aliquo, niſi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque cognoris. Praeterquam- quod caſtiganda eſt ſegnities atque inertia quorumdam medicorum, qui quamvis haec ignorent aut contemnant, erecti & celſi, alacri & prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentes vagantur cum magna caterva diſcipulorum praeſidium aegrotis, & prope cunctis hominibus lucem ingenii & conſilii ſui porrigentes. Et iſtam copulationem plurium artium magnam & difficilem eſſe oportet, quoniam Lanciſius, qui certe uſum, & ſcientiam, & ſtudium ſingulare ad medicinam attulit, non una in re lapſus eſt; & certe quae de cordis ſtructura & motu attulit talia ſunt, ut interdum ea, quae magis animum ejus, quam ſenſus pepulerunt, probaſſe videatur. Vale.

Piſis Id. Quint. MDCCLXXX.

Joannes Maria Lancisius.

Joannes Maria Lanciſius natus eſt Romae VII. Kal. Novemb. an. MDCLIV. parentibus Bartholomaeo Lanciſio Biturgienſi & Anna Maria Borgiania Romana. Haec jam e vivis exceſſerat, cum ductus eſt ad Urbem Veterem, ut ibi aleretur ab amita integerrima & optima femina, quae, virum cum amiſiſſet, ibidem ſedem fixerat ſuam. Manſit eo loco Joannes ad duodecimum uſque aetatis annum, quo, amita jam fato functa, eum pater Romam perduxit. In Urbe nondum egreſſus e pueritia ab hominibus Societatis Jeſu imbutus eſt politiorum litterarum ac philoſophiae Peripateticae ſtudiis, in quibus tantos progreſſus fecit, ut non excurrere, ſed evolare videretur. Ad divinarum quoque rerum ſcientiam, iiſdem ducibus, ingreſſus eſt, ſed ea vix dum a limine ſalutata, eo ſe contulit, quo ſuum illum deducebat ingenium. Itaque medicinae operam navare inſtituit, audivitque Hyacintum Alto-

marium Archigymnaſii Romani Lectorem, ut ajunt, primarium; ac duodeviceſimo aetatis anno poſt. Kal. Septembris illa doctrinae inſignia conſecutus eſt. Hoc tempore coepit ille dies ac noctes in mathematicarum facultatum meditatione verſari. Nam acutiſſimus adoleſcens vidit medicam artem ſine phyſicarum rerum ſcientia aut nullam eſſe, aut in ſummis tenebris erroris atque inſcitiae neceſſario vagari; nec ad naturae penetralia aditum patere poſſe niſi iis, qui ſint mathematicis rebus (1) ac praeſertim geometria inſtructi. Itaque poſtquam primos Clavii libros, nemine praeeunte, cognovit, totum ſe dedit Vitali Iordanio, qui tum unus maxime excellere in iis doctrinis Romae putabatur. Sic veluti quadam accenſa face, potuit facile, quo tendebat, pervenire; exercuitque ſe praeſertim in anatome, chemia, re herbaria atque naturali hiſtoria. Quo factum eſt, ut omnes, quae tunc temporis Romae celebrabantur, nobiliores Academias ſive medicinae, ſive anatomes, ceterarumque naturalium ſcientiarum frequentare coeperit; in quibus cum ſtrenue ac laborioſe in-

Digitized by Google

genium exerceret, palam omnibus fecit ingenita quadam cupiditate efferri ſe ad gloriam. Ad quam ut incenderetur quotidie magis, Sapientiae imaginem in tabula vivis expreſſam coloribus ſibi comparavit. Sedebat haec magnifico in templo, quod poſitum erat, ut Aſcraeus ille cecinit Poeta, in vertice montis: ſtrenuos autem corona donabat, eos omnino deſpiciens, quos aut labor medio in curſu, aut voluptas, aut otii deſiderium procul averterat. Cum in cognitione rerum medicarum haec praeclara fundamenta jeciſſet, nervos omnes contendit, ut Romae in publicis noſocomiis eo in ſtudio quotidie exerceret ſe diligenter. Neque vero, quoties obtulerat ſe occaſio, privatim id agere intermittebat, eos inviſens aſſidue, qui Joannis Tiracordae diligentiae, quem ſibi ducem elegerat, & a cujus latere nunquam diſcedebat, valetudinem ſuam commendaverant. Qua quidem in re tantum adhibuit induſtriae, ut cum omnia prudenter animadverteret, omnium etiam morborum hiſtorias in ephemerides diligenter referret. His ille rebus cum ad hominum famam perveniſſet,

accidit ut ſeligendus eſſet, qui medici, ut vocant, adſiſtentis munus gerit in S. Spiritus noſocomio. Quamvis plures eſſent competitores, qui Lanciſio aetate plurimum antecedebant, illud tamen munus facile obtinuit, non alia re commendatus niſi ipſa ſua virtute atque opinione doctrinae. Nihilo tamen minus ille in noſocomiis, quae Romae plurima ſunt, ſaepe aderat; & quod caput eſt, dum is aegrotos inviſeret, etſi detentos variis morborum generibus, ubique idem erat Lanciſius, ubique induſtria ſua utebatur, illud aſſidue contendens, ut quem ſibi propoſuerat finem, cujus omnino aſſequeretur. Veruntamen cum ſatis videret quam lato in campo, nulliſque limitibus definito verſaretur, ut ſibi ſuiſque ſtudiis diligentius caveret, alumni locum Piceno in collegio obtinuit: quinquennium vero ipſum, quod eo in loco conſumpſit, adeo navavit ſedulam operam medicis ſtudiis, ut potuerit viginti duo magna volumina conficere indicum earum rerum, quae ad cognitionem, uſumque ſpectarent. Haec inter anatomes ſtudium, quod ei curae maxime erat, eum quotidie

diſtrictum habebat, quo prope fuit, ut in corporis cujuſdam ſectione infectus graviſſimo morbo vitam finierit. Sed integrae redditus valetudini, cum cooptatus fuiſſet in eum doctorum hominum coetum, qui *Congreſſus medicus* appellabatur, quique habebatur apud Hieronymum Braſavolum, illius Antonii Muſae nepotem, qui ſumma cum laude ſaeculo XVI. publice medicam facultatem fuerat Ferrariae profeſſus, ſibi in illo cum ſcriptis aliis, tum ea praeſertim lucubratione, quae eſt *de Virgine quadam Callienſi mirabili vexata ſymptomate*, plurimum nominis comparavit. Qua re factum eſt, ut cum diſſecandi magiſter in Archigymnaſio Romano munus dimiſiſſet, quanquam non ita pauci, iique inſtructi interioribus litteris provinciam hujuſmodi ſpectarent, Joannem Mariam Lanciſium, qui ei ſuccederet, omnibus ſuffragiis elegerint Moderatores. Quo quidem in munere ita ſe geſſit, ut non modo opinionem vicerit, quae de doctrina ejus erat, ſed etiam, ſi perpaucos exceperis, gloriam ſuperiorum. Adjunxerat ille perfectae rerum anatomicarum ſcientiae laudem illam, ut ſatis

polite Latine loqueretur, excellenterque pro-nuntiaret, quocirca quoties dicturus erat, magnus ad eum fiebat concurſus non modo diſcere cupientium, ſed etiam virorum doctrina inſignium, quorum in numero ſaepe fuerunt (qui quantique viri!) Marcellus Malpighius, & Lucas Tozzius. Neque illud eſt praetereundum, quod ſi forte eveniret (evenit autem ſaepiſſime) ut inter dicendum aliquis dignitate illuſtris homo ad eum audiendum accederet, interrupta oratione, eatenus dicta in aptam epitomen varie contrahebat (2) quod quidem nullo negotio praeſtabat, cum haberet divinam quamdam memoriam rerum & verborum. Hoc tempore perſuaſit Archigymnaſii Rectori, ut elegantius inſtauraretur Theatrum Anatomicum, quo facto, idem in ingreſſu appoſuit duo illa hemiſtichia: LACEROS JUVAT IRE PER ARTUS: NEC TE QUAESIVERIS EXTRA: quorum alterum ex Claudiano, alterum e Perſio deſumpſit. Manſit ille in hoc munere duodecim annorum ſpatio. Nam anno MDCXCVI. ſuffectus eſt Jacobo Sinibaldo, qui theoreticam medicinam eodem in Lyceo tradebat; ex quo

demum loco venit quinquennio ferme poſt ad medicinam practicam docendam. Sed illud in primis glorioſum fuit Lanciſio, quod mortuo Franciſco Santuccio, qui Innocentii XI. valetudini curandae operam dabat, ei ſucceſſit, cum nondum quatuor & triginta compleſſet annos, quod neſcio an ulli contigerit. Cui provinciae ſane graviſſimae ille non modo cumulate ſatisfecit, ſed cum arcana multa ei communia eſſent cum Pontifice, qui plurimum ejus ſtudiis, ingenio, fidei, ac prudentiae tribuebat, quotieſcumque vellet, ad virum illum ſanctiſſimum patebat aditus. A quo auctus etiam dignitate (nam in collegium canonicorum SS. Laurentii & Damaſi cooptatus fuit) ei omnia obſequii & benevolentiae officia praeſtabat. At non ita multo poſt cum Innocentius ad Superos evolaſſet, quippe qui facultatem, quam in deliciis habebat, Reipublicae bono exercere cupiebat, ſacrum illud munus dimiſit. Fuerat is jam ab anno MDCLXXXIX. ſingulari voluntate Moderatorum adlectus in Collegium Archiatrorum Romanorum, quo quidem honore ita uſus eſt, ut non modo ornamento,

Digitized by Google

ſed magno etiam adjumento eidem Collegio fuerit. Nam praeterquamquod praeſtitit ſe acerrimum propugnatorem ejuſdem jurium, non deſtitit, quibuſcumque rebus poſſet, collegas juvare, ut is omnium parens videretur. Cum quotidie magis creſceret Lanciſius laude doctrinae, huic non ſolum bis demandatum eſt munus *Protomedici* Romanae Urbis, totiuſque Pontificiae ditionis, ſed illum quoque eſſe voluit Cardinalis Palutius S. R. E. ut vocant, Camerarius, qui in laureis medicis tribuendis vices gereret ſuas in Archigymnaſio Romano, quod munus, Palutio vita defuncto, ejus ſucceſſor Joannes Baptiſta Spinula in Lanciſio firmavit; ac tandem Clemens XI. ſentiens eumdem potius tribuere provinciae ſuae ſplendorem, quam ab ea accipere, ne loco amplius moveri poſſet, edixit. Interim nobiliores, quae Romae extant, ita ſibi familias conciliaverat, ut iiſdem aſſidue operam navans, Caeſaris etiam Legatos effecerit ſuos. Cumque nihil praetermitteret eorum, quae ad exercendum ingenium conferre poſſe viderentur, cooptatus in Arcadum coetum, quem viri interioribus lit-

teris praediti, & poeticis ſtudiis quam qui maxime addicti inſtituerant, Erſilii Macariani nomine eſt appellatus. Neque Romanis ſolum, ſed etiam abſentibus erat notus (3). Satis enim multa ſcripſerat, quae dimanaverant ad exiſtimationem hominum. Ex his quaedam typis impreſſa ſunt, quae maxime cum ſibi, tum ſtudioſorum anatomiae rationibus conducere putavit. Inſcribuntur autem: *Humani corporis Anatomica ſynopſis* = *Anatomia per uſo e intelligenza del diſegno, ricercata non ſolo ſugli oſſi e muſcoli del corpo umano, ma dimoſtrata ancora ſulle ſtatue antiche più inſigni di Roma*. Illa etiam notiora atque illuſtriora fuerunt quae ad Raymundum Vieuſſenium ſcripſit, ut probaret ſal marinum latenter in ſanguine contineri, & extrahi poſſe; haud poſſe tamen (haec enim duo ille quaeſierat) veris certiſque argumentis ſtatui quam proportionem habeant inter ſe omnes ſanguinis partes. His adde *Epiſtolas duas ad Felicem Adamum Mulebancherium de monſtroſis quibuſdam foetibus, deque ſeminis vermiculis*, in quibus ſpeciem & formam humani corporis adumbratam eſſe ſuſpicabatur (4). Haec aliaque

hujuſmodi dum litteris mandaret, curabat ut de ſuis ſtudiis & exercitationibus certior fieret ingeniorum fautor mirificus Innocentius XII. qua re factum, ut cum graviſſimo morbo is implicitus fuiſſet; ultro Lanciſium ad ſe ſe accerſiverit. Eodem mortuo, quod non mediocriter valuit ad illius famam augendam, conclavia ingreſsus eſt, operam ſuam medicam Cardinalibus, qui illuc creandi Pontificis cauſsa convenerant, praeſtiturus. Nactus ibi otii plurimum in eo languere noluit; quocirca a primis diebus coepit cogitare, quo poſſet genere litterarum Reipublicae prodeſſe. Inter multa, quae ei occurrerunt, argumenta, illud de Aneuryſmatibus plane dignum exiſtimavit, in quo ſtudium ſuum poneret. Nam videbat utiliſſimum hunc ſcientiae medicae locum multis obſtructum eſſe difficultatibus, & a nemine, niſi leviter admodum, ad eam diem fuiſſe tractatum. Cum opus in manus ſumpſiſſet, & multa adumbraſſet unius menſis ſpatio, ecce ad ſummum dignitatis faſtigium evehitur Cardinalis Albanius, is qui Clementis XI. nomine appellari voluit, qui cum eſſet intelligens ingeniorum

exiſtimator, eiſque ſemper debitos habuiſſet honores, ſtatim Lanciſium elegit, cui valetudinis ſuae curam committeret. Hoc munere auctus ille fore ſibi otium exiſtimavit ad ea, quae inchoaverat, brevi perficienda. Sed falſo. Nam qui locus quietis & tranquillitatis fore plenus videbatur, in eo maximae moles moleſtiarum extiterunt. Coepit enim ſummus Pontifex variis affligi morbis, quem ut medicina reduceret ad ſalutem, incredibile eſt quantum diligentiae ac ſtudii adhibuerit Lanciſius. Eo acceſſerunt alii aliis temporibus graves publici caſus, qui ut Pontificis animum maxime perculerunt, ſic Lanciſium occupatum impeditumque tenuerunt. Fuerunt hi magna Romae in primis frequentia repentinarum mortium, contagiones malorum, quae a paluſtribus aquis profectae nonnullis praeſertim Romani agri oppidis ſolitudinem fere intulerunt; ac demum bovilla peſtis, quae tota Pontificia ditione foede vagata eſt. Hinc Lanciſius juſſu Pontificis, qui nihil reliqui faciebat, quod ad proſpiciendum Reipublicae ſaluti pertineret, argumentum ſumpſit trium operum, quae ſingula

breviter, inſtituti noſtri tenendi cauſſa, referemus. Inſcripſit primum *De ſubitaneis mortibus*, idque in duos libros diviſit. Horum in altero de genere univerſo agit repentinarum mortium, qui locus a recentioribus deſertus lucem docti alicujus ſcriptoris poſt detectum praeſertim ſanguinis circuitum deſiderare videbatur; in altero perpendit cauſſas & principia, unde his temporibus tot homines hujuſmodi mortium fata peremerunt. Profecto his libris nihil poteſt eſſe utilius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae rerum medicarum. Nam ſolerter adeo, docte, exquiſiteque enucleat vitae ac mortis cauſſas, omnia ex mechanica ſolidorum ſtructura, fluidorumque temperatione, alterniſque motibus deducens, omniaque accuratiſſimarum diſſectionum experimentis comprobans, ut in illis univerſam propemodum medicinam contractam eſſe haud immerito poſſis dicere. Quam vero ii accepti fuerint, hoc erit indicio, quod ſtatim a ſummis viris maxima facta eſt Lanciſio gratulatio, e quibus nominaſſe ſufficiat Lucam Tozzium, Dominicum Guglielminium, & Bernardinum Ramazzinium (5),

quibus cum fuiſſet probatus, non poterat vereri, ne non ab omnibus probaretur. Eo acceſſit quod brevi duorum annorum ſpatio quater typis impreſſi, nec ita multo poſt in Gallicum ſermonem converſi fuerunt. Nec minus homines, qui poterant judicare (6), expletum omnibus ſuis partibus praedicarunt opus *de Noxiis paludum effluviis*, quod in duos libros pariter tribuit. Demonſtrat in primo caelum propter vapores ſtagnantium aquarum grave ac peſtilens fieri; cauſſas quaerit quare hae ſtagnantes aquae maxime aeſtivo tempore corrumpantur; diligentiſſime in naturam inquirens horum ipſorum vaporum duo genera eſſe ſtatuit, alterum animatum formatumque in figuram animantium, inanimatum alterum, eaque figura carens; ſimul & oſtendit quomodo in humanum corpus perveniant, eique noceant; deinde gradum facit ad remedia, quibus iidem paluſtres vapores vel omnino tolli, vel ſaltem temperari, minui, aut quo minus noceant, intercipi poſſint. In ſecundo vero libro hiſtoriam perſequitur contagionum, quae Romam, Herbanum, ſeu ut alii malùnt, Urbem Veterem,

Balneoregium, Piſaurum, & Ferentinum afflixerant, quaeque maxime memorabiles fuerunt, in eaque multa etiam admiſcet ex intima medicina. Eſt locus in primo libro, qui pertinet ad ortum inſectorum, ibique Lanciſius non dubitanter affirmat ranas & bufones ova in tellure deponere, eaque arida in pulvere ſepulta, ſi ſint aeſtivis pluviis madefacta, improviſo foetus fundere. Sed cum ille poſtea animadvertiſſet minime id conſentire cum iis, quae diligentiſſimi naturae inveſtigatores Franciſcus Redius, & Antonius Valliſnerius obſervaverant, ex quibus compertum habemus ea animalia ova in aqua deponere, ſcripta epiſtola ad eundem Antonium Valliſnerium, quam inſeri curavit in XXIX. volumine Ephemeridum Italorum Litteratorum, voluit omnibus patefacere erratum ſuum. Noverat enim, & ſaepe in ore habebat, praeclaram illam Celſi ſententiam, qui laudans Hippocratem, quod ingenue fateri non dubitaverit deceptum ſe a cranii ſuturis fuiſſe, dixit id feciſſe *more magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil*

nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, praecipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt. Scripſit *de bovilla peſte* (7) quam pleniſſime ſcribi res illa potuit. Sic enim omnia de origine & progreſſu hujus morbi, de illatis detrimentis, de conſiliis magiſtratuum, de adhibitis remediis, de naturalibus cauſſis & effectibus in hoc libro notata ſunt, ut nihil in eo non appareat, & facile exiſtimari poſſit quam eſſet Lanciſius veterinariae quoque medicinae peritus. Antea quaedam hac ipſa de re tetigerat, litteris datis ad Antonium Borromeum, quas litteras, cum Latinas Auctor ipſe feciſſet, dignas judicavit, quae memorato libro de bovilla peſte adjungerentur. In illum quoque intulit opuſculum de epidemia equorum, quae Romae fuit an. MDCCXII. quod ſua intereſſe putaverit & quid ſentiret oſtendere, & quod conſilii dederat defendere. Scripto jam opere de noxiis paludum effluviis, in quo perquam breviter perſtrinxerat atque attigerat nonnulla

de caelo Romano, vidit quanta cum utilitate iſtud argumentum dilatari poſſet. Itaque, ceteris omnibus ſepoſitis, in conficiendo libro de *Nativis deque adventitiis Romani caeli qualitatibus* multum elaboravit, in quo omnia quaecumque vel lectione librorum, vel ſcientiae perveſtigatione, diuturnoque uſu conſequi potuit, complexus eſt. Volens itaque oſtendere caelum Romanum naturaliter ſalubre eſſe, rem comprobat ab Urbis ſitu, a ventis, qui in ea dominantur, ab aquis, quibus ipſa Urbs utitur, a telluris fertilitate, ab habitu, & colore diuturnaque vita incolarum. Fieri tamen poſſe docet, ut propter vehementes ſeptentriones ventos, & interdum etiam auſtrales, ac praeſertim propter vapores ſtagnantium aquarum hanc ſuam naturalem ſalubritatem amittat. Quae quidem vir praeclara eruditione & doctrina ſic proſequitur, ut ab ultima origine Urbis ad poſtrema uſque tempora hiſtoriam, ut ita dicam, contexat viciſſitudinum, quas habuit caelum (8) Romanum. Huc quoque intulit hiſtoriam epidemiae rheumaticae, quae per hiemem anni MDCCIX. vagata eſt, quod a re propoſita

haud alienum eſſe duxit. Sane hujus libri confectio perjucunda Lanciſio fuit conſideranti magnae illum fore utilitati Urbanis praeſertim medicis. Scite enim Hippocrates, *neceſse eos in tenebris verſari, qui probe non noſcunt ſitum, ventos, aquas, cibos, aliaque multa tum naturalia, tum fortuita locorum, in quibus medicinam faciunt*. His de rebus profecto quidquam ad ea uſque tempora diligentius & doctius factum minime fuiſſe exiſtimabatur. Sed non eſt celandum quaedam in phyſica peccaſſe Lanciſium, qui ſi reviviſceret, cognitaque praeſertim haberet, quae de aeris natura ac miris proprietatibus, varietatibuſque per ſummos philoſophos Britannos recenter inventa ſunt, libenti animo fateretur quaedam delenda e ſuis libris, quaedam corrigenda, quamvis ii mirifice homines concitaverint ad ſtudium cognoſcendae veritatis. Inter haec Lanciſius alia quoque ingenii monumenta litteris mandavit. Scripſit diſſertationes quaſdam *de lumbrico lato*, quas miſit ad medicos praeſtantiſſimos Antonium Pacchionium, & Joannem Dominicum Bianciardium. Vetus erat opinio jam uſque ab

Digitized by Google

Hippocrate ducta, eaque medicorum fermè omnium confirmata conſenſu, corpora illa, quae nunc faſciae inſtar depreſſa, nunc cylindri forma figurata inteſtinis adhaerent, eorumque longitudinem plerumque aequant, inter inſecta annumeranda eſſe. Sed in utramque partem multa differebantur, & ii ipſi, qui ſapientiorum judicio ſtare videbantur, ſolebant hac de cauſſa inter ſe diſſentire; quod alii unum eſſe vermem, alii plures eſſe putarent mire inter ſe colligatos atque implicitos. Quod id inſolenter & raro eveniat non audebat Lanciſius quidquam pro certo affirmare; demum rem diu & multum ſibi inquirenti liquere dixit tum experimentis, tum rationum pondere nil aliud eſſe hujuſmodi corpora niſi polypos quoſdam ex ſucco concretos. Quapropter quemadmodum medicina plurimum debere putatur Malpighio aliiſque ſolertibus viris, qui de cordis polypo ſcripſerunt, hominesque docuerunt, ne a falſis vaſorum ſanguinis vermibus fallantur, ſic de nobiliſſima facultate non minus ſe meritum arbitrabatur, quod hiſce diſſertationibus effecerit, ne amplius medici a vermis

ſimillimis inteſtinorum polypis decipiantur. Verum ſi ei glorioſum fuit illos convincere erroris, qui lumbricum latum unicum eſſe vermem credebant, ipſe quidem, ex multorum ſententia, in eo erraſſe putatur, quod non agnoverit illum vermium cucurbitorum acervum, de quo poſt Valliſnerii & Gocchii obſervationes amplius dubitari non poſſe arbitror. Poſt illa Lanciſius ſcripſit epiſtolam *de humorum ſecretionibus, ac praecipue de bilis in hepate ſeparatione* ad Joannem Baptiſtam Blancum hepaticae hiſtoriae auctorem, de qua quale judicium fieri debeat, juvat viri ſummi Morgagnii verbis referre. *Ex hac epiſtola*, inquit ille in Adv. Anat. III. animad. XXIX. *quamvis incredibili humanitate ſcripta, Lectores tamen attenti facile intelligent virum graviſſimum, Hiſtoria Hepatica perlecta, nihilominus diſerte ea ipſa affirmare, quae in illa negantur. Non enim credit nihil in hepate Malpighium niſi nomen glandulae innovaſſe, ſed veras glandulas, veros glandularum folliculos adhuc agnoſcit. Non credit lymphatica vaſcula in extima ſolum ſuperficie capſulae ſubſiſtere, ſed cenſet lympham, quae antea bilis particulis inter-*

mixta erat, abſorbere. Non credit in primis, id quod in hiſtoria maxime inculcatur, ea ratione bilem ſecerni, quam Auctor propoſuerat, ſed ipſius diligentiam non obſcure deſiderat, imo apertiſſime duo illa, in quibus totam explicandae rei rationem poſuit, ſibi nullo pacto probari poſſe dicit, ac minime decere diligentem ſolertemque anatomicum in rebus haerere hujuſmodi. Quid multa? Hominem cogit non modo. . . ut quae demonſtrata eſſe jactaverat, vix puſilla conjecturae face evadere agnoſcat, ſed ut poſtquam ſignificavit velle ſe invios quatere ulterius receſſus, incipiat ab iis ipſis, quae incaſſum ſcripſerat in hiſtoria iterandis. Quibus & talibus rebus exquiſitis, hoc vel maxime effecit, ut non amplius dubitaretur quibus ex cauſſis bilis ſecretio penderet, neque illam ſanguine craſſiorem eſſe, quae duo ad medicinam faciendam haud mediocris eſſe momenti exiſtimavit. Poſt haec placuit Lanciſio abſtruſiora quoque inquirere binis editis diſſertationibus *de phyſiognomia & de ſede cogitantis animae*, quas ad Joannem Fantonium virum doctrinis phyſicis praeſtantem & ſecum vetuſtate amicitiae conjunctiſſimum miſit. (9) Harum in prima, reſu-

tata vanitate levitateque eorum, qui futura ſe praedicere profitentur a manuum & frontis lineis, ex his tamen corporis conſtitutionem, cauſſaſque naturales, & antecedentes noſtrarum voluntatum, & appetitionum noſci poſſe phyſicis argumentis & rationibus comprobare nititur. Ex qua impreſſa notione illud nos utilitatis capere debere ait, ut accommodata diſciplina atque doctrina ad uniuſcujuſque naturam, facilius bonam confirmemus, vitioſam corrigamus. Quamvis enim extirpari & funditus tolli nequeant naturales illae cauſſae, ob quas alii in alia propenſiores ſunt, ſic tamen comprimi & edomari ſtudio & diligentia poſſunt, ut nullum pravitatis veſtigium appateat: quare utitur opportune exemplo Socratis, in quem cum multa in conventu, ut narrat Cicero, vitia collegiſſet Zopyrus phyſiognomon, deriſus eſt a ceteris; qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent, ab ipſo autem Socrate ſublevatus eſt, cum illa ſibi ſigna ineſſe, ſed ratione a ſe dejecta diceret. Expoſiturus in ſecunda Diſſertatione quae idem, duce anatome, de ſede & loco cogitantis animae ex

abditis naturae receſſibus depromſerat, ait verſari ſe in re difficili, ac multum & ſaepe quaeſita, profertque dictum Platonis, qui in Alcibiade *oculus*, inquit, *ſe ipſum ſi videre vult, in oculum intueri debet, proinde etiam anima, ſi ſe ipſam noſcere vult, ut animam intueatur oportet*: deinceps tranſit ad examen ſententiae Carteſii, qui animam in glandula pineali locavit, aitque praeſtantiſſimum hunc philoſophum ex vero intellexiſſe domicilium perceptionum cogitationumque in ea cerebri parte conſtituendum eſſe, quae unica ſit, & in quam gemina externorum ſenſuum organa concurrant; non vidiſſe tamen, ut pote obſervationibus anatomicis deſtitutum, alium in cerebro locum, in quem illa magis conveniant, huncque eſſe corpus calloſum. Quid ſit porro hujuſmodi corpus calloſum, ejuſque partes & formam diligentiſſime deſcribit. Haud pauca etiam explanat ad glandulam pinealem ſpectantia, parteſque quae circum eam ſunt, haecque non de medio ſumpta, ſed diuturna obſervatione a ſe quaeſita; omninoque ſcripto hoc Lanciſium plurimum luminis attuliſſe judicatum eſt cerebri aſſequendae na-

turae, qui locus in anatomica ſcientia diffi-cillimus exiſtimatur. Ceterum quod ad ſedem animae attinet, latet haec craſſis occultata & circumfuſa tenebris, ut nulla acies huma-ni ingenii tanta ſit, quae penetrare ad ipſam poſſit. Corpora noſtra non novimus; qui ſint ſitus omnium partium, quam vim quaeque pars habeat ignoramus, & notiora nobis eſſe putabimus, quae ad animam quomodocum-que pertinent? Profecto neque ille, qui di-xit habitare ipſam calloſo in corpore, juraſ-ſet ita ſe rem habere, neque nos item. In-terim Ludovicus Ferdinandus Marſilius, vir non minus doctrina, quam bellica virtute inſignis, Diſſertationem *de generatione fungorum* ſub ipſis pellibus a ſe confectam ad Lanci-ſium miſit. Huic pergratum fuit munus; ut-que paria paribus reſponderet, eidem longiſ-ſimam epiſtolam ſcripſit, in qua poſtquam il-lum ſummis laudibus extulit, oſtenditque na-turae ſtudium ampliſſimo quoque viro dignum habitum ſemper fuiſſe, ſuſcipit tractandam hanc eamdem materiem procreationis fungo-rum. Pluribus comprobare nititur fungos proprium ſemen non habere; arboreos ex

ſucco, quo ipſae arbores aluntur, manare; pratenſes, ceteroſque ex corio, fruticibus, foliis, fruſtis libri, aut corticis, ligni, radicum: quae omnia, quamvis corpora mortua dicantur, habent tamen ex illius ſententia in ſe compreſſum ſuccum, qui cum nactus ſit materiam, qua ſolvi, & ali poſſit, ita efficiat morboſas haſce plantas. Sic enim auctor fungos appellat, eo quod nunquam non a plantarum morbis principium eos ducere arbitretur. Quo vero modo gignantur, unde illorum conformatio & textura, varia multiplexque natura, eleganter explicat. Quaedam etiam attingit de lapide illo, quem nos dicimus *pietra fungaja*, ut oſtenderet haud eſſe verum lapidem, ſed concretionem quamdam radicum, lapillorum, ſuccorum, ſeminum, terrae, ſimiliumque rerum. Optime porro meritos ſe fuiſse de naturali hiſtoria Marſilius & Lanciſius iis editis ſcriptis (10) arbitrabantur, reputantes tanta in obſcuritate involutam eſse fungorum procreationem, ut Malpighius de illa quaerenti Marſilio reſpondere minime dubitaverit: *ſe diu multumque in ea inquiſitione elaboraſſe, ſed modicam ſubeſſe*

Digitized by Google

ſpem deprehendendi hanc naturae methodum. Eodem ferme tempore, quo haec vulgata ſunt, edidit Lanciſius opus, quod inſcribitur: *Animadverſiones in Plinianam villam nuper in Laurentino detectam*; illud quidem elegans variumque, in quo & antiquitatis ſe litterate peritum oſtendit, multaque retulit ad reconditiorem phyſicam, & ad naturalium rerum hiſtoriam pertinentia. Huc illa ſpectant quae de multiplici aggeſtione, ac de crebris arenarum tumulis, qui paſſim in Tyberis ripis viſuntur, deque ſtirpium herbarumque in iis ortu diſseruit. Haec enim non leve diſputandi argumentum praebebant. Elucubravit Lanciſius libellum hunc, cum feriatis diebus ruri eſset in eodem Laurentino. Homo enim induſtrius non minus otii quam negotii rationem extare volebat. Inſcripſit vero Marcello Sacchetto Ordinis Hieroſolymitani apud Pontificem M. Oratori, eo quod ipſe rudera hujus celeberrimae Plinianae villae ſepta undique & veſtita terra, vepribus & dumetis primus omnium detexit. Agri Romani adſpectus impellebat Lanciſium, ut plura hujuſmodi quaereret, & ipſa illuſtrium Roma-

norum facta non mediocria invitamenta erant ad convolandum ex Urbe in apertos agros. Quo vero gaudio affici neceſse erat philoſophum indagantem initia & tanquam ſemina, unde eſsent omnia orta, generata, concreta; quae cujuſque generis vel inanimi vel animantis, vel muti, vel loquentis origo, quae vita, qui interitus, quaeque ex alio in aliud viciſſitudo atque mutatio. Sed haec otii, quo cum minime abundaret Lanciſius, multorum ſtudium concitabat ad earumdem rerum cognitionem, explicationemque naturae; omnibus affirmans haec non ſolum pulchra, honeſta, praeclara eſse, ſed etiam plena gaudiorum. Sed non verbis ſolum attingebat ea, quae volebat oſtendere. Proponenda quaedam quaſi moventia erant, quae adoleſcentes magis ad cognitionem intelligentiamque converterent. Itaque bono publico dedicavit bibliothecam ſuam multorum ſane nummorum, quam extare voluit apud noſocomium S. Spiritus, ut juventus, quae eo in loco medicinae dat operam, & in librorum optimorum copia, & in muneribus quibuſdam induſtriae ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis haberet.

Id evenit an. MDCCXIV. XII. Kal. Junias, quo die narrabat Lanciſius cunctis laetatum ſe fuiſſe laetitiis. Huc enim ſpectarunt ingentes curae, quas poſuit viginti fere annorum ſpatio in exquiſitiſſimis comparandis libris, ac diligentia (malevoli, qui tanto viro deeſſe non poterant, avaritiam appellabant) quam adhibuit, ut eſſet unde ſuppeditarentur eidem bibliothecae ſumptus neceſſarii ſive ad emendos libros, ſive ad ſtipendia Praefecto, ceteriſque miniſtris ſolvenda. Huic dedicationi magnum decus acceſſit praeſentia Clementis XI. quem comitabantur viginti Cardinales, ac magnus Praeſulum numerus: Praeſentis numinis voces, & dona quaedam miros Sapientiae amores accenderunt in ſtudioſis juvenibus; nec ſolum gaudebat Lanciſius, ſed triumphabat tot beneficientiae argumentis factum ſuum a tanto Pontifice comprobari. Itaque & ad declarandum gratum animum ſuum & ad ſolemnia dedicationis augenda eidem vulgatos eo ipſo die commentarios ſuos ad tabulas anatomicas Bartholomaei Euſtachii lubens meritoque conſecravit. Latuerant hae tabulae diuturna in obſcuritate; & quamvis

in iis perquirendis Malpighius, aliique docti homines multum diligentiae poſuiſſent, inveniri tamen nunquam potuerant. Lanciſius etiam ſuperioribus annis & Romae & Septempedae, quarum urbium haec patria, illa quaſi theatrum fuit ingenii Euſtachii, ſtudioſe illas inveſtigaverat tum ſua ſponte, tum exhortatione praeſertim incitatus amiciſſimi ſui Dominici Gulielminii. Sed fruſtra. Demum cum incidiſſet in epiſtolam quamdam Matthaei Pinii Urbinatis diſcipuli ejuſdem Euſtachii, qua declarabat vocatum ipſum fuiſſe in ſocietatem hujus glorioſi laboris, haec illi ſuſpicionem movit, eas tabulas Urbini latere apud haeredes Pinii. Qua de re cum ſermonem habuiſſet cum Summo Pontifice, ultro hic in ſe recepit, fore ſibi curae, ut perquirerentur. Sic res habuit optatum exitum, inventaſque tabulas cum accepiſſet Clemens, illas bibliothecae Lanciſii donavit. Quo gratiſſimo munere hic provocatus, alacrior factus eſt ad eaſdem explicandas. Sed cum propter multas, quibus deſtinabatur, occupationes, videret hoc onus haud poſſe ſe ſolum ſuſtinere, adjunxit ſibi ſocios Antonium

Pacchionum, & Franciſcum Soldatum viros in rebus anatomicis apprime verſatos. Saepe etiam in conſilium adhibuit Joannem Fantonium, & Joannem Baptiſtam Morgagnium, cujus quoque Latinam epiſtolam operi praepoſuit, in qua pluribus diſſeritur, quam bene meritus de anatome ſit Euſtachius, quaeque propria & peculiaria dicere debeamus ejus inventa, licet ab aliis poſt illum prodita fuerint (11). Et ſane nemo ad hanc rem magis idoneus erat Morgagnio, qui in eo, quod pertinet ad hiſtoriam anatomiae, princeps ab omnibus merito judicatur. Poſtquam res a Lanciſio geſtas fama divulgavit, agitabatur magis magiſque in dies animus propriae gloriae & publicae utilitatis cupidiſſimus ad majora aggredienda; cum is demum ei vivere & frui anima videretur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit. Ac ſibi quidem multa agitanti res utiliſſima viſa eſt, ſi Academiam inſtitueret, cui unice propoſitum eſſet medicinae, chirurgiae, & anatomes ſtudia provehere, eamque apud bibliothecam ſuam convocaret. Incredibile autem dictu eſt

quam facile multi juvenes ingenio clari coaluerint, quibus cum ſuppeditaret Lanciſius commoda & inſtrumenta ad eas ipſas artes excolendas, efficiebat ut inter illos maximum eſſet gloriae certamen. Quo primum tempore coetus Academicorum eſt convocatus (id autem accidit VII. Kal. Majas an. MDCCXV.) ipſe orationem dixit *de recta medicorum ſtudiorum ratione*, in qua perfecti medici ſpeciem & formam adumbravit (12). Et primo quidem diſſerit de artibus, quibus inſtructus debet eſſe medicus, deinde perſequitur quae in his artibus cavenda ac circumſpicienda ſint, ut facilius ac ſecurius, quo tendit, pervenire poſſit. Hoc eodem tempore ille multum operae ponebat in Metallotheca Michaelis Mercati, quae cum centum viginti annis in tenebris jacuiſſet, tandem Florentiae reperta, a Clemente XI. comparata, a Lanciſio ejuſdem Pontificis juſſu notis illuſtrata an. MDCCXVIII. lucem aſpexit. Sunt quidem in his notis plurima cognitione digniſſima, eaque commemorare neceſſe erat, propterea quod Mercatus, vir ceteroquin doctiſſimus, in ea incidit tempora, quibus hiſtoria natu-

ralis

ralis infinita obſita erat errorum multitudine: Quos ita notavit Lanciſius, ut facile intelligi poſſit, quam multum eſſet in hac facultate verſatus (15). Vocavit vero in ſocietatem hujus laboris Petrum Aſſaltum, doctum virum & multarum linguarum peritum, quocum vivebat conjunctiſſime. Nam ad maximas ejus occupationes acceſſit, quod his temporibus non optima valetudine uteretur, quodque Urbinum anno MDCCXVII. comitatus fuerit Alexandrum Albanium ad lauream in utroque jure accipiendam. Fecerat idem quatuordecim annos ante cum illius fratre Annibale, quod nemini libentius ſuorum curam concrederet Clemens. Illo priori itinere cum Bononiam uſque perveniſſet, pro eo quod ejus nomen magna erat apud omnes gloria, invitatus fuit a litteratis viris Bononienſibus, ut de aliqua re, quae ad phyſicam pertineret, verba faceret. Cumque ſe non nolle homo moribus facillimis reſpondiſſet, dicitur ea copia orationis, ubertateque doctrinae locutus fuiſſe, ut omnes ad magnam admirationem traduxerit. Vocem quoque illius eruditam audire voluerunt Urbina-

tes, quare duabus recitatis Italicis orationibus in Academia, cui nomen *degli Afforditi*; harum altera probavit, *glorioſius ac utilius eſſe vivere quam mori pro patria*, altera, *vere beatam eſſe illam civitatem, ad quam amplificandam ornandamque omnes cives conſpirent*. Has inter tot occupationes Lanciſius nunquam cogitationem ſtudiumque dimiſit ad umbilicum perducendi opus *de motu cordis & aneuryſmatibus*, quod, ut ſupra demonſtratum eſt, ab an. MDCC. inſtituerat, quodque avidiſſime expectabatur. At poſtquam multum ſudoris ac laboris in eo conſumpſit, doluit vitam ſibi prius eripi, quam illud edolare atque in vulgus edere potuerit. Neque id tamen luce caruit. Nam commendatum Aſſalto Romae an. MDCCXXIV. impreſſum eſt, deinde Neapoli, Venetiis, Lugduni Batavorum, iterumque Romae an. MDCCXLV. apud Palearinios Fratres recuſum. Tanta ac tam praeclara judicia a doctis viris facta ſunt de hoc opere, quo maxime anatomia & clinica illuſtratur, ut ad has laudes quid addi poſſit non videam. Laudavit & Morgagnius, qui mihi unus inſtar eſt omnium, pluribus in

locis ſcriptorum ſuorum, hancque attulit cauſſam (*) quare illud ipſum cum multis praeclaris pauca quaedam haud omnino probanda contineat, quod ſcilicet extrema manus ei minime acceſſerit. Porro, vel ipſo Hallerio judice, optime meritus eſt Lanciſius de univerſa cordis hiſtoria, & quae protulit ad fibrarum ordines, valvulam Euſtachii (14) ſinus venoſos, valvularum ſitum, morbos & nervos cordis, vaginas vaſorum pulmonalium deſcribendas nulla non laude celebrandas eſſe pronuntiat. Quanquam non eſt celandum ex his quaedam eſſe, quae vindicaſſe ſibi videtur Petriolius (**), & illa praeſertim, quae ad valvularum ſitum in vividioribus animalibus pertinent, ut venas tangant. Sed hic a multis reprehenſus eſt, quod de ſe minus vera praedicans militem glorioſum ſaepe imitari ſoleret; quare ſine certiſſimis argumentis aliquid affirmanti vix fidem habendam eſſe cenſeo. Laudi quoque datum eſt Lanciſio, quod noverit pericardium in o-

(*) *Epiſt. XVIII. par. V. de ſed. & cauſ. morborum &c.*

(**) In ſuis Euſtachianis Tabulis p. 91.

mnibus animalibus reperiri (15) quanquam perpaucorum aſsenſu affirmaverit illud ipſum fibris carneis praeditum eſſe, & aliquo agitari motu, & pro neceſſitate naturae tendi atque coſtringi. Glandulosam quoque tunicam eidem tribuit, ac demum membranaceam, qua exterius illud contegi, quamque communem habere putat cum vaſibus ſanguineis & aereis. Sunt quaedam alia hujuſmodi, quae minus probare videntur recentiores anatomici (16) qui ſuis porro reprehenſionibus effecerunt, ut majori in pretio haberi debeat ſecunda pars operis, quam Auctor aneuryſmatibus tribuit. Inter eas, quas recenſuimus, hujuſce operis editiones, multum praeſtat omnibus Peleariniana, quam curavit magni nominis medicus Antonius Leprottus; exornavitque inter cetera duabus diſſertationibus Lanciſii, quarum una eſt de *vena ſine pari*, altera *de gangliis nervorum*. In priori poſtquam ſtatum, ſtructuram uſumque illius venae expoſuit, quatuor quaeſtiones ſolvit, quas ſibi Morgagnius propoſuerat, quid ſcilicet cauſſae ſit, cur quidquid ſanguinis ex arteria magna per intercoſtales pleraſque ef-

ſluit, id omne non per totidem venulas; quae in cavam pari ordine deſinant, in hanc refluat? cur non in cavae inferiorem truncum redeat, ſed in ſuperiorem? cur iſtuc non per duas venas, ſingulas videlicet more inſtitutoque naturae ab ſingulis lateribus poſitas, ſed per venam ſine pari inferatur? cur demum hujus ipſius venae truncus non a ſiniſtris, ſed a dextris prorepat. Quae ſic praeſtitit Lanciſius, ut non modo obſcura praeclare illuſtraverit, ſed etiam tum vetera quaedam ingenioſe reſtituerit, tum nova plura obſervationibus conſtantibus & diligentiſſimis ſubnixa in medium attulerit. In poſteriori vero diſſertatione explicatis iis, quae generatim pertinent ad ſitum, numerum & figuram gangliorum, eorumdem ſtructuram, vim, uſum, & morboſas affectiones accurate inveſtigat aperitque (17). Omnium profecto primus Lanciſius ad harum rerum inveſtigationem acumen & diligentiam, qualem phyſicum decet, attulit, idque fecit cohortante Morgagnio, cum quo quamdam ſtudiorum ſocietatem iniviſſe videbatur. Neque ſilentio praetereunda ſunt, quae inter ſe hi

obſervationes habuit, diligenterque deſcriptas ad eoſdem anno MDCCXVIII. miſit, ut ex iis intelligi poſſet, quale judicium de ſumma controverſiae, duce illa rerum omnium magiſtra experientia, faceret (18). Noviſſime Lanciſius vulgavit opuſculum, quod inſtituit ad Joannem Olivam *De natura & praeſagio Dioſcurorum nautis in tempeſtate apparentium*; in quo duo potiſſimum inquirit, unde ortum habeant hae φάσεις, quae ſaepe noctu in maximis tempeſtatibus nunc ſpecie unius flammei globi, nunc duplicis, aut numero plurium in apice praeſertim mali conſpiciuntur; & unde fiat ut interdum futuram tranquillitatem ex vero portendant. Cum dixerimus ignoraſſe Lanciſium quid hac in re praeſtet electricitas, ſatis de hoc opuſculo nobis dixiſſe videbimur, quod idcirco ſcribendum ſuſcepit, ut eſſet ſibi levamento in maximo labore, quem in opus de Aneuryſmatibus impendebat. His ab eo editis ingenii monumentis, quibus maximam materiem ex rebus per ſe inveſtigatis ad rerum occultarum cognitionem attulit, omnia praeclaro ordine diſponens, omniaque explicans, ſi non ſem-

per plane pura & candida, ſatis tamen polita litteratataque oratione, cum illud Ciceronis ſibi perſuaſum haberet, *mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſſe intemperanter abutentis otio, & litteris*, incredibile eſt quantam apud noſtros homines non ſolum, ſed etiam apud exteros conſecutus ſit famae celebritatem. Augebat hanc cogitatio illa, quod tanta eſſe ſolet in tuenda Principis valetudine occupatio, ut non ſinat hominem in aliam curam incumbere. Declaravit hoc, qui expertus fuerat, Lucas Tozzius quadam epiſtola ad ipſum Lanciſium, in qua haec ſunt: *ſiquidem tu etiam, vir eximie, noſti quo tempore Pontificiae valetudini tuendae iſtic praeeram, non ſolum nullum mihi fuiſſe ſcribendi otium, ſed nec ea, quae a me olim inchoata fuerunt, tranquillo animo verſandi*; confirmavitque exemplo ſuo, ut de ceteris taceam, Malpighius, qui ut ab Innocentio XII. ad hujuſmodi munus vocatus fuit, omnem cogitationem abjecit aut interrupta contexendi, aut abſolvendi inſtituta. Atque ea cum ſcriberet Lanciſius,

nemo poterat exiſtimare, hunc minus attentum ac diligentem ſe praebere in conſervando Pontifice, cum vere gloriari potuerit, adeo ſe pro illius valetudine viginti fere annorum ſpatio excubaſſe, ut quam aegram accepit, ſi non firmam, bonam tamen reliquerit. Tali modo cum ille ad aetatis annum ſextum & ſexageſimum perveniſſet, & non minus gratia, fortunaque, quam fama creviſſet (multam enim pecuniam praeſertim ex curationibus nobilium & divitum fecerat) & quanquam tenui, bona tamen uſus eſſet valetudine, nactus eſt morbum, quem is ſtatim, aliique Medici eſſe graviſſimum periculoſiſſimumque ſenſerunt. Erat enim febris acuta, quam comitabantur dolor in dextro hypochondrio poſticam partem verſus, ſumma faucium, linguae ac palati ariditas, ut vix loqui poſſet, vomitus billioſi, aliaque inſtantis mortis ſigna. Cum fruſtra adhibita eſſent remedia, & vis morbi magis magiſque creſceret, quarto die poſtquam decubuit, rite, & ſumma cum religione omnibus iis perſolutis, quae divinitus ad expiandos animos, & placandum Deum ſunt inſtituta, naturae

debitum reddidit XIII. Kal. Februarias, hora XII. ann. MDCCXX. Dici non poteſt quantum ejus diſceſſu dolorem acceperint non modo amici, ſed univerſa civitas. In primis doluit Summus Pontifex, qui, allato ſibi nuntio de illius morte, abdidit ſe in cubiculum, omnibuſque per eum diem aditum ad ſe interclusit. Amiſerat enim virum, cujus fide ac prudentia multis maximiſque in rebus utebatur, & in cujus ſuavitate & ſermone magnum levamentum reperiebat. Mortui corpus balſamo perunctum elatum eſt ad Sancti Spiritus in Saxia, ibique cum pompa funeris ſepultum. Tumulo vero hoc elogium inſcriptum eſt.

D. O. M.

JOANNIS MARIAE LANCISII ROMANI
MORTALES EXUVIAE HIC JACENT
CUI PRAETER ILLUSTRE ARCHIATRI MUNUS
APUD INNOCENTIUM ET CLEMENTEM XI. SVMM.
PONTIFF. XX. ET AMPLIUS ANNOS AB EO
PRAECLARE GESTUM
SCRIPTA INSTITUTA BIBLIOTHECA
ARCHIHOSPIT. S. SPIRITUS HAEREDITATE
DONATUM
AETERNAM PIETATIS ET DOCTRINAE LAUDEM

COMPARARUNT

OBIIT MERITIS QUAM ANNIS CUMULATIOR

DIE XX. JAN. MDCCXX.

ANNUM AGENS LXV. M. II. D. XXV.

Heredem, ut hic declaratur, teſtamento reliquit Noſocomium ejuſdem S. Spiritus, ea inter ceteras lege, ut novum ibidem excitaretur valetudinarium curandis mulieribus. Id tamen pluribus gravibuſque de cauſſis effici haud potuit. Quapropter Benedictus XIII. deſtinatam huic rei pecuniam Noſodochio S. Gallicani attribuit, ejuſque in aedibus ſtatui placuit marmoreum Lanciſii ſimulacrum cum hac inſcriptione.

JOANNES MARIA LANCISIUS ROMANUS

SUMMORUM PONTIFICUM INNOCENTII XI.

ET CLEMENTIS XI.

INTIMUS CUBICULARIUS ET ARCHIATER

CUM NOSOCOMIUM S. SPIRITVS IN SAXIA

UBI PUBLICAM BIBLIOTHECAM DEDICAVERAT

TESTAMENTO HAEREDEM SCRIPSISSET

UT NOVUM IBIDEM PRO AEGROTANTIBUS

MULIERIBUS

VALETUDINARIUM EXCITARETUR

PLURIBUS TAMEN GRAVIBUSQUE DE CAUSIS

SUPREMAE ILLIUS VOLUNTATI LOCUS ESSE

NON POSSET

BENEDICTUS XIII. P. M.

CUNCTIS RITE MATUREQUE DISCUSSIS

HABITA ETIAM AEGROTANTIUM MULIERUM

RATIONE

NE PIA TESTATORIS VOTA IRRITA ESSENT

HAEREDITATIS PARTEM TRICIES SESTERTIUM

HUIC OPERI ADDIXIT

AC LIBERALITATIS EJUS

IN HOC PERENNI PONTIFICIAE PROVIDENTIAE

MONUMENTO

MEMORIAM EXTARE JUSSIT

ANNO DOMINI MDCCXXVI.

Corpore fuit paullo graciliori, ac breviori; & in ſenectute etiam agili, oculis vegetis, & acuta ac celeri acie, naſo paullo eminentiore, totaque facie miram alacritatem hilaritatemque prae ſe ferente. In victu poſt quadrageſimum praeſertim annum magnam temperantiam adhibuit, vinoque abſtinuit, parceque ſomno indulſit. Sic valetudini ſuae

conſulere exiſtimabat, quam ſolitus erat dicere ſuſtentari notitia ſui corporis, & obſervatione earum rerum, quae prodeſſe, & obeſſe poſſunt, continentia in victu, fugiendaque illa omnium malorum matre voluptate. Interdum tamen cruditate & inſomniis laboravit ob vehementiſſimam contentionem animi, quam in ſtudiis litterarum adhibebat, ex qua etiam canitiem praematuram contraxit. Senex dentes amiſit. Munditiam amavit non odioſam, neque exquiſitam nimis, ſed quae fugeret agreſtem illam negligentiam, quam plerumque, qui ſe philoſophiae dicarunt, affectant. Sed excellentiora alia in eo animi bona elucebant. Erat enim modeſtus, veritatis diligens, patiens, affabilis, blanduſque admirandum in modum: non tamen illum caruiſſe deſiderio honorum, & dibaphum quoque cogitaſſe, qui ei intimus fuit, mihi teſtatus eſt. Idem ad amicos ſublevandos fide fuit ſingulari, & in hoc ſe maximum exiſtimabat capere fructum gratiae, qua pollebat apud optimates, & maxime apud S. Pontificem, quod pluribus, & litteratis viris praeſertim prodeſſe poſſet. Erga Patrias aman-

tiſſimus fuit. Tres autem Patrias ſe habere dicebat, primam originis, ſecundam naturae, tertiam civitatis. Nam cum eſſet, ut initio docuimus, Biturgia oriundus, Romae vero natus, in populi Urbinatis civitatem an. MDCCIII. ſuſceptus fuerat. Nullas inimicitias habuit, quod neminem laedebat; & ſi qua de re cum aliquo diſputavit, ita ſe geſſit, ut officium ſemper teneret, nunquam excederet, ac veritatis, non contentionis ſtudioſus (19) cognoſceretur. Huic rei ſunt indicio quae ſcripſit adverſus medicos Jo. Baptiſtam Salvadorium, & Joannem Coſmum Bonomum, qui ſcabiei originem non ab ulla ſanguinis contagione, ſed a vermiculis unice repetendam eſſe toto pectore contendebant. Collegit Lanciſius omnia, quae ad hanc controverſiam pertinent, in unum libellum, huncque Hieronymo Braſavolo inſcripſit. Animo maximo nullis unquam laboribus difficultatibusque ab arduis quibuſque aggrediendis ſe deterreri eſt paſſus. Prudentia vero tanta in iis praeſertim, quae ad facultatem, quam profitebatur, pertinebant, ut & *de inſtantibus*, ut ait Thucydides, *veriſſime judicaret*, & *de*

futuris callidiſſime conjiceret. Quod quidem cujus virtutis ſit, facile exiſtimabit is qui judicare poterit, quam lubrico periculoſoque in loco ille verſetur, qui in tanta naturae obſcuritate, tantiſque tenebris, quibus plerumque diverſa morborum ratio continetur, hujuſmodi fluctibus ſe ſe committere audeat. Sed tamen dici ſatis non poteſt, quam hoc eſſet illi facile factu, ita ut cum rem ipſam inveſtigaſſet attentius, quod certe, quotieſcunque res poſtularet, uſuveniebat, eum raro admodum ſententiae ſuae poeniteret. In quo ſi quam ipſe rationem ſecutus eſt cognoſcendorum morborum perſequi velim, videar magis, quam debeam, mihi tribuere. Non enim ſolum ſcrutabatur, quod vitae genus, qui mores, quae etiam ciborum, quae vigiliarum, ſomnique eſſet conſuetudo, ſed oculos ad ea quoque intendebat, ad quae non licet harum artium mediocriter peritis facile adjicere, ut cum ad pronuntiandum deſcenderet, detectis, ut ita dicam, latebris morbi, videret quid ſpei ſibi propoſitum eſſet, quid etiam remedii. Fuit & diſertus; nec minus concinnus in brevitate reſpondendi,

quam

quam in perpetua oratione ornatus. In ſermone quotidiano mirum in modum delectabatur jocis & facetiis, quae rerum graviorum ſeveritatem & triſtitiam mitigarent. Intelligens erat exiſtimator ſignorum & picturarum, credo, quod pleniorem quamdam pulchritudinis ſpeciem animo comprehenſam habebat; cumque eſſet diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, de veterum aedificiorum ſplendore, ac magnitudine ex iis, quae ſupereſſent, ruderibus ſagaciſſime judicabat. Habuit ſingularem memoriam, quod ex eo facillime poteſt judicari, quod cum anno MDCXCI. tota quadrageſima Caſalinio concionanti adfuiſſet, potuerit ejus orationum aliquas domum reverſus iiſdem pene verbis exſcribere, omnium vero accuratum compendium facere. Tanta autem induſtria fuit, tantumque vigilavit in ſtudio, ut non maxima ſummo ejus ingenio gratia habenda videatur. Nullum enim tempus illi vacuum a labore erat, quippe qui ne reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipſo curru, dum per Urbem veheretur, ſoleret legere, & interdum etiam ſtilum prehendere. Quapropter

minime eſt mirandum, ſi tot, ac tam praeclara potuerit poſteris relinquere ingenii ſui monumenta eo tempore, quo occupabatur in conſervanda Pontificis valetudine, & in docendi munere, quod nunquam dimiſit; quo ſaepe diſtrictus erat a nobilium praeſertim curationibus, ſcribendiſque conſiliis, quae undique ab eo requirebantur, quorumque tredecim volumina reliquit; & quo demum nullum litterarum praetermittebat officium erga abſentes amicos, quos plurimos, eoſque doctrinae laude praeſtantes habuit. Inter hos fuerunt Laurentius Bellinius, Dominicus Guglielminius, Euſtachius Manfredius, Joannes Baptiſta Morgagnius, Bernardinus Ramazzinius, Antonius Valliſnerius, Guido Grandius, Franciſcus Tortus, Joannes Jacobus Mangetus, Nicolaus Cirillus, Joannes Fantonius, Carolus Rica, Jo. Baptiſta Gaſtaldus, Pius Nicolaus Garellius, Michael Fridericus Lochnerus, Hermannus Boerhaavius, Guilelmus Kokburnius, Guido Creſcentius Fagonius, Joannes Bernardus de Mornes, Joannes Daniel Geizerus, Rofinus Lentilius, quorum pervulgata ſunt nomina. Romae vero prae-

ſertim coluit Marcellum Malpighium, Guilelmum Rivam, Vitalem Jordanium, Lucam Tozzium, Abbates de Miro & Galianium, Proſperum Lambertinium, Carolum Majellam, & Petrum Aſſaltum, qui duo poſtremi ei morienti adfuerunt. Horum plerique praeclara in ſcriptis ſuis reliquerunt teſtimonia de doctrina Lanciſii: addiderunt quoque judicia ſua eaque honorificentiſſima Academiae Caeſarea Naturae Curioſorum, Regia Londinenſis, Phyſiocriticorum Senenſis, Inſtituti Scientiarum Bononienſis, Incurioſorum Roſſanenſis, quae ſibi gloriae duxerunt inter ſuos Lanciſium cenſuiſſe. Et ſi Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt, non eſt tacendum factum Ludovici XIV., qui cum intellexiſſet ab eodem libros quoſdam rariſſimos deſiderari, diligenter conquiſitos ad illum mitti juſſit una cum litteris perhonorificis (29).

proculdubio infirmitati meae divinum praeſidium. Enim vero formidoloſam illius diei aleam mecum ipſe reputans, non ſine confidentiae nota id fieri potuiſſe confiteor, niſi improviſa officii neceſſitate ad audendum me compuliſſet; inurbanum ſiquidem videbatur; ſi in adventu poſteriorum Praeſulum eas obſervantiae ſignificationes praetermiſiſſem, quas in priorum ingreſſu non gravate praeſtiteram. *In margine vero epiſtolae, qua Paſtoritius Lanciſio reſpondet, haec idem Lanciſius notavit;* Haec oratio (utor Plinii verbis ad Svetonium) Auctori, quemadmodum a pleriſque accepi, aures hominum, januamque famae patefecit.

(3) *Magnam quoque abſentium his temporibus fuiſſe opinionem de Lanciſii doctrina indicant doctorum virorum epiſtolae ad eum ſcriptae. Habes hic immortalis viri Laurentii Bellinii epiſtolam, qua ad ipſum miſit ſua* de Motu Cordis *opuſcula. Hanc ex multis ſelegimus & quia brevis, & quia honorificentiſſima eſt.* Joanni Mariae Lanciſio Laurentius Bellinus bene agere. In opuſculis meis de Motu cordis, quae ab Eminentiſſimo Cardinali Spada tibi reddenda curavi, perſpicies, VIR CELEBERRIME, unde animalium Motionum principia deducam. An vero id aſſecutus ſim, quod conſequi erat in animo, tu videris, qui probe noſti, animalium operationes a ſola inſtrumentorum ſtructura motuque pendere. Ut autem haec pro tua humanitate diligenter expendas, ſimul etiam aequi bonique conſulas, non mea ſolum, ſed tua quoque intereſſe arbitror. Vale Florentiae Kal. Sept. MDCXCV.

(4) *Juvat hoc loco referre verba Valliſnerii, ubi loquitur de Inventoribus vermium ſpermaticorum tom. 2. p. 104.* Nè perchè cito letterati al di là de' monti, e al di là de' mari celebratiſſimi, credeſſe già V. S. Illuſtriſs. che nella

noſtra Italia niuno ſi foſſe preſo la pena d'aſſicurarſi di un tanto fatto. Il noſtro Monſig. Lanciſi Medico di S. S. e chiariſſimo per tante ſue opere degne di cedro, mi mandò, non è guari, alcune ſue Diſſertazioni Epiſtolari di ſcelta erudizione piene, in due delle quali parla anch' eſſo di queſti vermi del ſeme umano.

(5) *Haec Guglielminius in epiſtola ad Lanciſium data Bononiae prid. non. Aug. MDCCVII.* Bononiae mihi redditus eſt libet, quem nuper evulgaſti de ſubitaneis mortibus, cujus lectionem, pluribus licet diſtractus negotiis, avidiſſime agreſſus, in eo optima inveni cuncta, cuncta ſuſpicienda. Praetereo ſtyli gravitatem, orationis perſpicuitatem, & elegantiam, ordiniſque nitorem, quibus undequaque lectoribus te commendas; doctrinam ipſam potius ſuſpicio, in qua tuum elucet judicium e melioribus optima ſeligens, & omnia ſuo quaeque loco diſponens & ſiſtens. Nihil inerudum, nihil puridum [vitia aetatis noſtrae] ſed cuncta naturali pulchritudine aſſurgentia ingenii tui maſculam virtutem, & gratam amoenitatem redolent. Placuiſti in omnibus, ſed maxime in ſectionibus cadaverum, quas ita examinaſti, ut neque in hiſtoriis praegreſſi ſtatus, neque in obſervationibus diſſectionum, neque in eorumdem ſcholiis quidquam deſideretur. *In hanc fere ſententiam ſcripſit ad eumdem Lanciſium Lucas Tozzius X. Kal. Apr. MDCCVII. Neapoli.* Eum ſane percurri [*inquit*] neſcio majori ne voluptate, an admiratione. Incredibiliter me quidem delectarunt ſtyli elegantia, Romanique ſermonis nitor, concinna methodus, ſolidaque doctrina, non quidem ex fictis hypotheſibus, ſed ex ipſius naturae obſervatione, anatomiciſque praeſertim experimentis deprompta. Accedit argumenti utilitas potiſſimum hac noſtra aetate, qua ſolito

ſrequentius homines hoc lethali genere e medio tolluntur. *Ramazzinius* cedro dignum *appellavit hunc librum*. *Carolus vero Riea Junior ſignificavit Lanciſio ſummo in pretio eſſe apud Angolos iſtud opus* de ſubitaneis mortibus; illudque, tanquam theſaurum, in acta Regiae Societatis contuliſſe Henricum Sloone.

(6) *Extant epiſtolae Lucae Schroekii Acad. Nat. Curioſ. Praeſidis, in quibus mirabiliter laudantur ſingula fere Lanciſii opera, & iſtud praeſertim* de Noxiis paludum effluviis. *Iſrael quoque Coniglianus Haebreus, Medicus ſane doctiſſimus, qui diu medicinam fecerat Bizantii, in epiſtola ad Lanciſium ait, non ſatis digne hoc opus laudari poſſe, illudque ſibi aperuiſſe diu fruſtra quaeſitam cauſſam morborum contagioſorum, quibus ſingulis quibuſque annis cives illius urbis affliguntur. Ad quae reſcripſit Lanciſius*: Quae enim de Byzantinis epidemiis potius, quam peſtibus identidem recurrentibus olim ſubobſcure conjeceram, nunc oculatiſſimo teſtimonio tuo affirmare ſtatuere minime vereor, ſcilicet non aliunde quam ex corruptis ob Turcarum negligentiam, contemeratiſque aquis ac linis frequentes illas peſtilentias ſuboriri. *Mirum Byzantium uſque penetreſſe Lanciſii famam, & hunc Haebreum Romam veniſſe, motum praeſertim, ut ipſe narrat, deſiderio illius noſcendi.*

(7) *Antonius Jeſſieus Pariſienſis horti Praeſes ſcripſit Lanciſio*, nihil accuratius, nihil ſagacius, nihil elegantius ſe legiſſe Opere de Bovilla Peſte; *hocque judicium comprobaſſe judicio ſuo Guidonem Creſcentium Fagonium. Immortalis hic vir, quoniam ipſe per ſe legere non poterat ſenio, & oculorum morbo impeditus, auribus accipiebat quidquid edebat Lanciſius. Nihil enim ab eo proferri poſſe exiſtimabat, quod optime ejus famam non ſuſtineret. Sed redeo ad opus*

de Bovilla Peſte, *de quo ſic quoque judicavit Morgagnius in epiſtola quadam ad Lanciſium*: Hiſtoria diligenter ſcripta, edicta utiliter collecta, morbi natura, cauſſae, curatio erudite, ſubtiliterque tractata, omnia luculenter, copioſe, diſerte abſoluta. Quid multis? Magna cum voluptate legi, eoque majore, quod ſummam ejus Diſſertationis utilitatem inter legendum animadverti. Nam, ut cetera praetermittam, quae nec pauca, nec levis momenti ſunt, quid excogitari, quid fieri utilius poterat, quam Pont. O. M. ſapientiſſima iſta decreta, ac ſingularia ac prope divina beneficia litteris mandare, ut cujus regimen optare mortales aeternum debent, ſperare autem non poſſunt, ejus ſaltem prudentiae, & beneficentiae immortale habeant monumentum, unde Principes in omne tempus ſibi ad imitandum exempla capiant. *De hoc opere ſic etiam loquitur* [*ceteros omitto*] *Lucas Schroekius*: communem omnium adplauſum illud mereri, atque obtenturum certus ſum; adeo provide & docte circa illam (*peſtem*) cuncta fuere peracta & ſcripta, ut quam tot meritis jam antea nomen Lanciſianum poſſidet famae celebritatem, immenſum jam adauctam eſſe ſine aſſentatione dici queat, debeatque. *Scripta haec eſt epiſtola anno* MDCCXVI.

(8) *Brevis eſt epiſtola Antonii Valliſnerii, quo commendat hunc Lanciſii librum, quare juvat integram exſcribere.* Illuſtriſſimo & ſapientiſſimo viro Joanni M. Lanciſio Italiae decori & ornamento, deque Republica medica optime merito Antonius Valliſnerius S. P. D. Haeſi, vir praeſtantiſſime, inter admirationem & gaudium, dum tua legerem. Quam alte naturam intras, quam ſubtiliter indagas, quid venti cogitent, quid agant effluvia per aerem ſurgentia! Nec minus praeclara ſcribendi utilitas. Conſulis vitae, ci-

vium , & exemplo Romani caeli totius humani generis cauſſam benigne agitas . Haec me res magnopere recreat ; nec enim ambitioſa contemplatione fatigas ingenium ; ſed juvat laborare in publica commoda , juvat a ſpiritu , quem ducimus, & quo nihil carius , occurſantes noxas repellere . Jam intelligis , vir ſapientiſſime , quanti aeſtimem librum tuum , quam magnas tibi gratias debeam pro tali munere . Diſcant demum recentes medici, quorum omnis in theorias niſus eſt , non philoſophari tantum , ſed etiam prodeſſe. Vale Patavii X. Decembris 1711. *Longiores ſunt epiſtolae Danielis Geizerii Archiatri Regis Poloniae , Roſini Lentilii , Joannis Fantonii , aliorumque , quibus ad caelum effertur hoc idem opus ; ſatiſque erit eas nominaſſe . Narrat quoque Fantonius judicium honorificentiſſimum , quod de eo fecit Jacobus Mangetus , plurimaque ipſe affert , quae mire confirmant notata in hoc libro a Lanciſio . Ceteras res inter ait , magni momenti eſſe quod ille de combuſtione herbae Kali prohibenda admonet . Sibi enim compertum eſſe affirmat , quod* ex hac herba elevantur halitus acerrimi, qui diatheſim ſanguini ferinam conciliant , & ſulphuri pugnam inferunt . *Lentilio vero iſtud opus occaſio fuit agendi cum Lanciſio per litteras de aquarum natura ; & multa quidem ſunt in his litteris , quae hominum doctrinam , ac diligentiam in obſervationibus habendis declarant . Minime illud ſilentio praetereundum eſt , quod eidem Lentilio narrat Lanciſius , quaedam a ſe inchoata fuiſſe* de Spargyrica analyſi , deque acidulis Romanis , *omniaque a ſe notata ad geometricam methodum redigere cogitaſſe , non tamen praeſtitiſſe occupationibus diſtentum . Epiſt. dat. eſt Kal. Octob. MDCCXII.*

(9) *Accepta priori Diſſertatione , haec ſcripſit Fantonius Lanciſio :* Diſſertationem tuam Phyſiognomicam ſumma cum

voluptate perlegi. Tu mirabili ingenii acumine rei cauſſam ab antiquis ignoratam, deſpectamque a Neotericis ita in lucem protuliſti, ut, quaſi dixerim, veritatem in fabula detexeris. Illud praeſertim videtur ſubtiliſſime excogitatum, quod de intima cognatione frontalis muſculi cum cerebro, & meningibus demonſtras. Quae enim, re in adulto ſolum conſiderata, nihil ponderis ſententia haberet, eadem plane veriſimilis eſt facta indagine rei in embryone, quemadmodum pulcherrime oſtendis. Adeo nihil eſt in animalium & hominis fabrica tam incultum tamque obſcurum, quod anatomico ac philoſophico lumine non ſplendeſcat. Sed tua haec diſquiſitio non parum etiam univerſam animalis oeconomiam illuſtrat, & ratiocinandi normam & methodum perſpicuam aperit. Denique omnia ſunt acutiſſime, jucunde, erudite, diligenter, & eximia methodo, qua ſcriptores Medicos facile vincis, expoſita.

(10) *Antonius Jeſſieus in epiſtola quadam ad Lanciſium ait, ab illo ſe diſſentire in eo quod ſpectat ad Fungorum generationem & naturam. Putabat enim illos vegetare, & inter ſtirpes numerandos eſſe. Ceterum Lanciſii ſententiam defendit Antonius Valliſneriur, qui cum illo obſervationes ſuas communicaverat.*

(11) *Dici non poteſt, quanta undique Lanciſio facta ſit a doctis viris gratulatio, quod has Tabulas Euſtachianas e tenebris eruerit, explicaveritque. Jacobus Mangetus, ut e multis pauca teſtimonia ſeligamus, ſic ſcribit quadam in epiſtola ad Lanciſium:* Demiror ſane illa omnia, quae ſumma ſua ſagacitate perſpexit magnus Euſtachius eo tempore, quo tenebris non parum craſſis obvolvebatur tota anatomia. Sed tuam multo magis demiror ſolertiam, ac ingenioſiſſimam diligentiam, qua rimatus quae obſcurius illic erant deli-

neata, librum alias mutum, ac paucis inſerviturum, eloquentiſſimum ac precioſiori quacumque anatomica ſupellectili quam maxime inſtructum feciſti. Eſt propterea quod memoria Euſtachiana, eſt quod tota ſocietas medica maxime amplitudini tuae debeat, non tantum quod haſce tabulas per duo prope ſaecula ſepultas Sum. Pont. munificentia de ſuo, ut ita dicam, tumulo eduxerit, ſed etiam quod inde tam multa, tam docta, tamque ſolida ad curioſioris profectoriae artis ornatum facientia promere voluerit. *Eidem Mangeto libuit has Tabulas ſuum in Theatrum anatomicum referre cum explicationibus Lanciſianis ab auctore nonnullis in locis correctis. Ingenue enim hic faſſus eſt* partim typographi Incuria, partim noſtra etiam in ſcribendo feſtinatione ſphalmata quaedam irrepſiſſe. *Summus vir Hermannus Boerhaavius ſcribens Jacobo Hay (eſt inter Lanciſianas haec epiſtola) ait ſe incredibili voluptate legiſſe quae adnotaverat Lanciſius in Tabulas Euſtachii, addiditque:* bona fide ago, hactenus nihil ſimile in anatomicis uſquam apparuit. *Memorabile eſt quod in hac epiſtola idem Boerhaavius fatetur, ſcilicet multum ſe profeciſſe ex operibus Lanciſii, idque rurſus affirmat ad ipſum Lanciſium ſcribens. Extant & epiſtolae Hyacinthi Gimmae, & Joannis Fantonii, quibus hi docti viri plena manu in aſtra extollunt hoc Lanciſii opus.*

(12) *Joannes Baptiſta Gaſtaldus in quadam epiſtola ad Lanciſium auream appellat hanc Diſſertationem. Ait, hoc argumentum imperfecte admodum a Voſſio, aliiſque fuiſſe tractatum; Lanciſium vero effeciſſe, ut nihil amplius deſiderari poſſit:* Belle enim adeo & ſolide & pereleganter de illis omnibus, quae ad ipſum quovis modo pertinere poſſunt, more tuo diſſeruiſti, quod opus ut prae manibus juniorum medicorum verſetur, curare debent illi omnes, quibus ar-

tis gloria cordi exiſtit. *Antonius quoque Jeſſieus pluribus verbis commendat hanc Diſſertationem.*

(13) *Antonius Jeſſieus ſignificavit Lanciſio, magnam ei famam comparaſſe apud Gallos quae ipſe adnotavit in Metallothecam Mercati; quas adnotationes laudans quoque Fantonius in epiſtola ad Lanciſium ait:* Metallicae ſcientiae inſtitutiones dici merentur, nihilque a curioſis non tantum doctiſſimiſque Philoſophis, ſed a ſolertiſſimis etiam Criticis deſiderandum relinquitur. *Neque minus eaſdem probavit Mangetus: nam illius eſt haec epiſt. ad Lanciſium dat. Genevae prid. Kal. Julii MDCCXV.* Habemus pro quo amplitudini tuae nos maxime devinctos profiteamur, cujus doctis, & felicibus curis debemus, quod ea omnia nitidiſſima, innumeriſque experimentis, ac ſolidiorem doctrinam quaqua verſum ſpargentibus ratiociniis illuſtrata nobis tradita fuerint. *Loquens vero de Mercato ait,* optime ſe geſſiſſe quod ad rei naturalis partem potiſſimum ſe converterit, quippe magis neglecta videbatur. Siquidem in Botanicis praeter Columnam, Penam, Bauhinos &c. proſtant inter noviſſimos clariſſimi viri Moriſſonus, Brenius, Rivinus, Rayus, Turnefortius, aliique non pauci. In animalibus tum perfectis, tum imperfectis, ut vulgo diſtinguuntur, Geſnerus, Aldrovandus, Tonſtonus, Rayus, Willoughbejus; Liſterus; Redi, Swammerdhamius, imo etiam aliqua ex parte Lowenhoekius, Charletonus, variique curioſi Peregrinatores. In gemmarum & metallorum, metalliſque affinium mineralium hiſtoria, tum praedicti Peregrinatores, tum alii plures veteres & Neoterici, qui de iis ex profeſſo & vere proſpero cum exitu egerunt.

(14) *In actis Acad. Pariſienſis, quae ſunt de rebus an. 1774., cum loqueretur Sabatierius de circulatione ſanguinis in*

ctu, haec de Euſtachii valvula habet. Sa poſition eſt telle, que ſon borde fixe eſt en bas, & ſon borde flottant en haut. Enfin ſa largeur eſt inegale & plus grande en arriere, qu' en avant. Cette circoſtance ſi neceſſaire pour bien juger de l' uſage, au quel elle eſt deſtinée, n'a point été remarquée par les Anatomiſtes, ſi on excepte Lanciſy, qui lui donne la figure d' un faulx, dont la partie la plus large eſt en haut, & la partie la plus etroite en bas &c.

(15) *Haller.* Element. phiſio. lib. IV. §. 23. *Dum gloriatur ſe inveniſſe ſemper pericardium in omnibus a ſe diſſectis animalibus ad convincendas contrarias multorum anatomicorum ſententias, ingenue fatetur ante ſe Lanciſium id ipſum noviſſe*.

(16) *Haller. loc. cit. ſect. III.* par. 22. Secundum eum (*i. e. Lanciſium*) fibrae cordis extimae a facie externa auricularum oblique, & ſpirae ſimiles, per exteriora ventriculorum ad mucronem cordis eunt, & dum deſcendunt, una mole creſcunt. Hae fibrae in univerſum corticem ventriculorum conſtituunt, aliquae vero recta introrſum penetrant, & ſpirales fibras revinciunt. Deinde ſpirales fibrae, quas diximus, quando ad mucronem cordis venerunt, ſimplici facta advolutione, internam faciem ſiniſtri ventriculi cum valvularum muſculis efficiunt, & inſeruntur iterum internae venarum & aurium fabricae. Mediae demum fibrae inter extimas, quae ab iiſdem naſcuntur principiis, ex circularibus nempe arteriarum tendinibus & ipſis arteriis, multa ſtrata fibrarum efficiunt, in ſiniſtro in primis ventriculo, alia magis inclinata, alia minus, inque eaſdem arterias redeunt, a quibus primum prodierunt. Quae vero fibrae dextrum ventriculum comprehenderunt, eae in ſiniſtrum tranſeunt, ad viminum modum in ſepto cordis de-

guſſatae. *Paulo poſt, id eſt* §. 27. *haec ſcribit immortalis vir*. Lancifii deſcriptiones & icones omnium maxime & a noſtris, & ab aliorum anatomicorum obſervationibus diſſerunt. Tres nervos vir ille ab intercoſtalis trunci ſupremo ganglio, valde conſpicuo & plexuoſo nimiſque fere ramis divite, derivat. Alios deducit ab ejuſdem intercoſtalis trunci duobus gangliis cervicalibus imis duo enim ejuſmodi ganglia facit (& omnino non rarum eſt duo eſſe) craſſo funiculo ſubrubro, quaſi anguſtiori iſthmo conjuncta. Ab iis gangliis creberrimos nervos ad cordis plexum deducit. Porro a phrenico trunco & ad aurem, & ad ventriculum dextrum ramos derivat, & circulum quemdam nervi phrenici dextri & ſiniſtri circa pericardium depingit, unde rami venam cavam inferiorem adeant. Ejuſmodi nihil unquam vidi, neque quiſquam alius. *Idem infra l. cit. ſect. V. oppugnare videtur Lanciſium, quod* per nervorum diſcrimina phaenomena cordis, voluntarios muſculos conſtantia ſuorum motuum ſuperantis explicare ſuſceperit. *Plura alibi, quae ſingula nimis longum eſſet exſcribere. Vid. etiam Portalium* hiſtoire de l' anatomie.

(19) *Nuperrime Antonius Scarpa vir de anatome ſane bene meritus librum edidit de nervorum gangliis & plexibus. In eo* par. 14. *haec de Lanciſio ſcripſit*. Non alienum a re noſtra nunc eſſet ea perpendere quae Lanciſius, vir alioquin praeſtantiſſimus, de gangliorum ſtructura tradiderat, niſi obſervationes noſtrae eo ordine a nobis fuiſſent recenſitae, ut ſingula quaeque ad Lanciſianam hypotheſim pertinentia refellerent. Attamen tria potiſſimum addam. Primum funiculos, quos praeſtantiſſimus auctor tendines nervoſos appellavit, ramos eſſe nervorum partim ad eos, qui ganglion ingrediuntur ſpectantium, partim attinentium ad eos, qui

intra ganglion commixti in ramos ab ejus lateribus erumpunt, quin ad alterumtrum apicem pertingant. Secundo longa coctione, ac maceratione in aceto, urina, & ſimilibus praeclariſſimum Auctorem perperam uſum fuiſſe, ut in gangliorum fabricam inquireret; quandoquidem nervea ſtamina hiſce praeſidiis in tantum mutari ſolent atque eam exteriorem faciem, & internam conſiſtentiam naneiſci, ut facile queant muſcularium fibrarum ſpecie decipere. Et ſane nervorum ſtamina ſunt, quae pro muſcularibus fibris Lanciſius habuit atque deſcripſit. Tertio deteriorem alteram eſſe methodum, qua ganglia ſecundum axim unguibus diſcerpere, & ſeparare conſueverat, ut penitiorem gangliorum ſtructuram detegeret, cui porro tribuenda eſt fictitia illa pinnata fibrarum muſcularium diſpoſitio, quam in gangliis ipſe comminiſcitur. Certe equinum cervicale ganglion, quod ipſe ſcrutatus eſt, eamdem ſtructuram nobis exhibuit, quam hactenus in homine deſcripſimus.

(18) *His obſervationibus locus datus eſt in ſecundo volumine operum Lanciſii, earumque meminit Heiſterus in ſuo nunquam ſatis laudato opere de rebus Chirurgicis, alibique. Ceterum quae fuerit Lanciſii ſententia, facile cognoſci poterit ex iis quae ſcripſit ad Garellium in epiſt. data Kal. Martii MDCCXIX.* Non exiguae autem, *inquit ille*, mihi voluptati fuit, quod a te quoque confirmari intellexerim, communem amicum clariſſimum Heiſterum de priſtina ſententia, ſi minus diſceſſerit, ſaltem paullulum in rectam viam flexiſſe, ingenue profeſſum, ſuffuſionem, obducta in aqueo humore membrana, aliquando progigni; & quidem ſi Romae degeret, crebriſque intereſſet ſectionibus cadaverum eorum, qui cum certis non cujuſcumque glaucomatis, ſed verae cataractae indiciis deceſſerunt, non infrequentiorem ac prae-

Digitized by Google

ternaturalem, ſed frequentiſſimam illoque in genere naturalem ſuffuſionem appellaret. Illud etiam dolendum magnopere mihi videtur, quod maxime non raro offenſiones inter doctos viros emergant, eo quia nomina a Priſcis ad peculiares morbos ſignificandos conſtituta in alios ſaepe detorqueant, ut in caſu noſtro uſuvenit, in quo cum hypochymatis ſuffuſionis & cataractae vocabulum inditum fuerit vitio concretionis in humore aqueo, Antonius Metrajanus, Briſſaeus, atque Heiſterus noſter ad cryſtallini affectionem indicandam traduxerunt. Cum igitur vel ipſe Heiſterus candide nunc fateatur, concretionem in aqueo & contingere, & per acum deprimi poſſe, ſponte quoque dare videtur, ut nomen, ſedes, & medela ipſius cataractae a veteribus inventa apud recentiores quoque accipiantur. Quanquam ultro concedimus, hactenus medicos & chirurgos partim ſignorum ambiguitate, partim complicatione utriuſque mali falſos ſaepe ſaepius, glaucoma pro ſuffuſione, vel contra reputaſſe, quod etiam nobis accidit, quippe qui in denatis viderimus aegrotationem, quam ſimplicem cataractam cenſebamus, fuiſſe cum glaucomate conjunctam. Hinc praeclare magnus Hippocrates, qui minus erraverit, optimus eſt medicus. Ceterum ego quidem arbitror Heiſterum noſtrum ideo ſuſceptas partes non deſeruiſſe, quod minus urbane a nonnullis habitus ſit.

(19) *Inter epiſtolas Lanciſii multae quidem extant quae oſtendunt, quam a contentionibus idem eſſet averſus. Neque ſolum has ille vitabat, ſed ortas inter amicos, ut componeret, omne adhibebat ſtudium. Dicere vero ſolitus erat, Medicos praeſertim ab omni contentione alienos eſſe debere, memores illius dicti Hippocratis, quo admonentur, ut nihil eum perturbatione faciant.*

(20) *Ceteros inter libros erant duo exemplaria operis, quod inſcribitur* Margarita Antoniana, *quorum unum Lanciſius dono dedit Cardinali Laurentio Corſinio. Rariſſimus ſane liber, cujus auctor eſt Gometius Pereira, & ex quo Carteſius ſumpſiſſe dicitur illud Philoſophiae ſuae dogma, Bruta carere anima, & vera automata eſſe.*

OPERA EDITA.

In contexendo Indice Operum Lanciſii primum referemus ea quae diſtributa in quatuor volumina Fratres Palearinii Romae an. MDCCXLV. eleganter ſane impreſſerunt, ordinemque ab iis ſervatum haud immutabimus; deinde recenſebimus reliqua Lanciſii opera, quae in lucem quidem ſunt edita, ſed minime inſerta ſunt in ea, quae memoravimus, volumina: ac poſtremo declarabimus quae ſint ejuſdem Auctoris ſcripta inedita, quae in Bibliotheca S. Spiritus aſſervantur.

Tom. I. De Subitaneis Mortibus libri duo. Romae typis Jo. Franciſci Buagni 1707. *in* 4. Lucae apud Peregrinum Fredianum 1707. *in* 4. Venetiis apud Andream Poletum 1708. *in* 4. Lipſiae apud Fridericum Gleditſch 1709. in 8.

Diſſertatio de nativis, deque adventitiis Romani Caeli qualitatibus: cui accedit Hiſtoria epidemiae rheumaticae, quae per hiemem an. 1709. vagata eſt. Romae apud Franciſcum Gonzagam 1711. in 4.

Tom. II. Diſſertatio de recta medicorum ſtudiorum ratione inſtituenda, habita ad novae Academiae Alumnos & medicinae Tyrones in Archinoſochomio S. Spiritus in Saxia. Romae ex Typographia Jo. Mariae Salvioni 1715.

in 4. *& apud eundem eodem anno* in 8. & Avenione apud Joannem Delorme 1716. *in* 8.

Anatomica Humani Corporis Synopſis. Proluſio habita in Almo Rom. Sapientiae Lycaeo cum primum demandatam ab Innocentio XI. P. M. Anatomiae Cathedram ſuſciperet VIII. Id. Novemb. MDCLXXXIV. *Primum edita haec Synopſis fuit Genevae an.* 1718. *cum reliquis Lanciſii operibus, quae etiam tum prodierant. Conficiunt haec opera duo volumina in* 4. *eaque in ordinem digeſſit Petrus Aſſaltus*;

Epiſtola de humorum ſecretionibus in genere, ac praecipue de bilis in hepate ſeparatione ad eruditiſſimum virum D Joannem Baptiſtam Blancum Medicinae & Anatomiae Profeſſorem. *Haec primum impreſſa fuit in libro ejuſdem Blanci, qui inſcribitur* = De hepatis ſtructura, uſibus, & morbis ec. Auguſtae Taurinorum 1711. *ac deinde Mangetus inſeruit in primum volumen ſui* Theatri Anatomici *editi Genevae* 1717.

.... ad doctiſſimum & eruditiſſimum virum D. Raymundum Veinſenium Medicinae Doctorem, & in Monſpelienſi Academia Profeſſ. longe clariſſimum, *ſcripta nomine Archiatrorum Collegii Urbis, ut reſponderet quaeſtionibus* = An acidum ex ſanguine extrahi queat; & an inter ejuſdem ſanguinis principia ulla ſtatui poſſit univerſalis proportio? = *Primum edita fuit in memorata Genevenſi editione; & ſuus Auctor retulit quoque in Metallothecam Mercati editam Romae typis Salvioni*.

Epiſtolae duae *ad Antonium Pacchlonium una, ad Joannem Blanchardium altera* de triplici inteſtinorum Polypo, quorum longiorem nonnulli hactenus unicum vermem eſſe crediderunt. *Inſeruit Antonius Valliſnerius ſuum in librum, cui titulus* = Conſiderazioni ed eſperienze intorno alla ge-

narrazione de' vermi ordinarj del corpo umano. In Padova 1710.

Diſſertationes duae de Phyſiognomia, & de Sede cogitantis animae. *Joannes Fantonius, ad quem, inſtituuntur, locum iis dedit in opere quod inſcribitur* = Joannis Baptiſtae Fantoni &c Obſervationes Anatomico-medicae = Venetiis apud Andream Poletum 1713. *Mangetus quoque retulit ſuum in Theatrum Anatomicum.*

Diſſertationes duae *ad Ludovicum Ferdinandum Marſilium. Altera eſt* de ortu, vegetatione, ac textura fungorum, *altera* de Plinianae villae ruderibus, atque Oſtienſis litoris incremento. *Editae primum fuerunt ad calcem operis ejuſdem Marſilii, cui titulus* = Diſſertatio de generatione Fungorum ec. ec. Romae ex officina Typographica Franciſci Gonzagae in via lata 1714. in fol.

Forma ac methodus deſcribendae morborum hiſtoriae in gratiam Medicinae Tyronum. Per occaſionem Epiſtolae ab Auctore ad Philippum a Turre Adrienſem Epiſcopum de Excell. viri D. Horatii Albani Clementis XI. P. M. germani fratris morbo, interitu, & funere. *Haec Epiſtola primum lucem aſpexit Norimbergae an.* 1715. in Appendice Centur. III. & IV. Ephemerid. Acad. Curioſ. Germ.

Epiſtola Apologetica de generatione metallorum Patri D. Herculi Corazzio in Bononien. Lycaeo Analyſeos Profeſſori Pub. *Pertinet ad Prolegomena Metallothecae, ad quae pertinent quoque.*

Epiſtolae duae de morte Cleopatrae *ad Jo. Baptiſtam Morgagnium &c.*

Epiſtola *Erneſto Salamoni Cypriano.*

De Natura & praeſagio Dioſcurorum nautis in tempeſtate apparentium. Romae typis Georgii Placho 1720. in 8.

Lucubratio de Virgine quadam Callienſi mirabili vexata ſymptomate, habita in Congreſſu Medico Romano; in aedibus Hieronymi Braſavoli. Romae apud Criſtophorum Pragondellum 1682. in 4.

Conſilium Clementi XI. de ratione inſtituendae ruſticationis cum optimo regimine ſex rerum nonnaturalium, a cujus negligentia ipſemet ſeceſſus omnino noxius evaderet.

Cataractae obſervationes.

Diſſertatio hiſtorica de bovilla peſte ex Campaniae finibus Latio importata, cui accedit Conſilium de equorum epidemia. Romae typis Salvioni 1716. in 4.

Tom. III. De Noxiis Paludum effluviis eorumque remediis libri duo. Romae typis Salvioni 1717. in fol. *Opportune huc Lanciſius intulit plures doctorum Medicorum epiſtolas, quibus ipſe conſultus eſt de contagionibus, quae aut Piſaurum, aut Ferentinum, aut alias regiones afflixerunt. Intulit quoque*

Conſilia a ſe exhibita in coetu aliquot Cardinalium de Sylva Ciſternae & Serminetae non niſi per partes excidenda.

Tom. IV. De Motu Cordis & Aneuryſmatibus opus poſthumum in duos libros diviſum. *Primum impreſſum fuit Romae apud Salvionum 1724. in fol. mox Neapoli, Venetiis, & Lugduni Batavorum in 4.*

Diſſertationes de vena ſine pari, & de gangliis nervorum ad Jo. Baptiſtam Morgagnium: *quae quidem antea editae fuerant inter Adverſaria ejuſdem Morgagnii.*

Haec ſunt Lanciſii opera quae habet Paleariniana editio; quae & copia rerum, & elegantia longe ſuperat Genevenſem.

Diſſertatio, *qua probatur vermes in pueris facile ſuſcitari ab inſolito aliquo metu, habetur in* Congreſſu Medico Roma-

no habito in aedibus Hieronymi Braſavoli prid. non. Aug. 1687. *In his* Congreſſibus (*ſic enim inſcribebantur, quae ab illo doctorum hominum coetu in lucem exibant*) *ſaepe apparet nomen Lancisii*.

Epiſtolae duae ad Felicem Adamum Mulebancher de molis & de ſeminis vermiculis: *Leguntur in ſecundo volumine operum Antonii Valliſnerii*.

Anatomia per uſo e intelligenza del diſegno, ricercata non ſolo ſugli oſſi, e muſcoli del corpo umano, ma dimoſtrata ancora ſulle ſtatue antiche più inſigni di Roma, delineata in più tavole, con tutte le figure in varie faccie con le ſpiegazioni ed indice del Sig. Canonico Gio. Maria Lancisi già Medico Segreto della S. M. d' Innocenzo XI. in Roma per Domenico de' Roſſi 1691. in fol.

Diſſertatio de ratione philoſophandi in arte Medica ad Senenſem Phyſiocriticorum Academiam. *Legitur in quarto volumine part. III.* della Galleria di Minerva. Venezia per Girol. Albrizzi 1700. in fol.

Epiſtola ad Joannem Fantonum. *Quoniam haec epiſtola praeclarum dat teſtimonium judicii, quod fecit Lanciſius de opere Fantonii, quod inſcribitur* = Anatomia corporis humani ad uſum theatri accommodata: pars I. in qua infimi & medii ventris hiſtoria exponitur: Auguſtae Taurinorum 1711. in 4. = *idem Fantonius operi huic ſuo praepoſuit*.

Diſſertazione Epiſtolare al P. D. Antonio Borromeo intorno all' epidemia de' buoi accaduta l' anno 1711. *Edita fuit cum opuſculo ejuſdem Borromaei, in quo hiſtoriam narrat hujus bovillae peſtis*. Venetiis apud Petrum Orlandum, & Neapoli apud Felicem Moſcam 1712. in 8. *Liber titulum praefefert* = . Iſtoria dell' Epidemia de' buoi accaduta l'an-

Digitized by Google

no 1711. con l'eſame delle cagioni, uſo de' remedj, e modo di preſervare i buoi ſani = *Lanciſius in latinum eam convertit*, *adjunxitque Diſſertationi* De bovilla peſte. *Idem fecit de opuſculo cui titulus*

Ragionamento intorno all'epidemia de' cavalli ſucceduta in Roma nella primavera del 1712. diſteſo per ordine della Sacra Conſulta. *Primum impreſſum fuit in memorata Neapolitana editione* dell' Iſtoria dell' epidemia de' buoi.

Lettera al Sig. Antonio Valliſnieri ſopra il ritrovamento delle Tavole Anatomiche dell' Euſtachi. *Legitur in XI. volumine Ephemeridum Litteratorum Italorum*.

Tabulae Anatomicae cl. v. Bartholomaei Euſtachii, quas e tenebris tandem vindicatas, & SS. D. Clementis XI. P. M. munificentia dono acceptas, praefatione, notiſque illuſtravit, ac ipſo ſuae Bibliothecae dedicationis die publici juris fecit Jo. Maria Lanciſius ec. Romae ex officina Typogr. Franciſci Gonzagae 1714. in fol. *Opus recuſum fuit* Coloniae Allobrogum, ſumptibus Gramer & Perachon 1717., *& in fine* Theatri Anatomici. *Extat quoque in hoc Theatro*

Epiſtola Lanciſii ad Jacobum Mangetum de Euſtachii Tabulis iterum recudendis in ejus Theatro Anatomico, cui ſubnectuntur teſtimonia quaedam Auctorum, qui laudant Euſtachium, quaeque omiſſa fuerunt in editione Romana.

Epiſtolae duae ad Philippum de Turre: *Extant in vol. 33. p. 2. Ephemeridum Litteratorum Italorum*.

Lettera Reſponſiva al medeſimo ſopra il difetto d'occhi d' un Fanciullo. Tra gli Opuſcoli Scientifici. Venezia 1745. tom. 33.

Lettera al Sig. Antonio Valliſnieri, *qua homines admonuit eſſe quaedam in libro* De noxiis paludum effluviis,

in quibus lapſus fuerat. Legitur in XXIX. volumine Ephemerid. Lit. Ital.

Michaelis Mercati Samminiatenſis Metallotheca, opus poſthumum auctoritate & munificentia Clementis XI. P. M. e tenebris in lucem eductum: opera autem & ſtudio Joannis Mariae Lancifii Archiatri Pontificii illuſtratum. Romae ex officina Jo. Mariae Salvioni 1717. in fol. *Biennio poſt Lanciſius Appendicem quandam operis publicavit iiſdem typis Salvioni, qua occaſione frontem libri renovandam putavit. Hinc factum eſt, ut quamvis unica ſit Metallothecae editio, duplex tamen videri poſſit. Nam una frons habet annum 1717. altera annum 1719.*

Adnotationes ad Hiſtoriam morbi Cardinalis Columnae deſcriptam a Januario Janellio. Romae apud Franciſcum Gonzagam 1719. *In his adnotationibus plura explicat Lanciſius ſcitu digniſſima, quae ad pleuritidem pertinent. Hoc enim morbi genere laboraverat Cardinalis ille.*

Diſcorſo recitato nell' Accademia degli Affordici ſolita a radunarſi in caſa Veterani alla preſenza dell' Eminentiſs. Cardinale Tanara Legato d'Urbino. *Oſtenditur in eo* = Eſſere molto più glorioſo, e più profittevole alla Patria il vivere, che il morire per la medeſima = *In Urbino 1703.*

Voti diverſi per la Canonizzazione de' Santi. *Accedebat ad cetera Lanciſii munera illud quoque, ut medica trutina perpendere deberet eorum malorum ſanationes, quae praeter naturam factae eſſe dicebantur ad probandam alicujus viri ſanctitatem.*

Tre Voti conſultivi per la ragunanza d'Arcadia intorno al merito di tre gran Letterati Arcadi Lorenzo Bellini, Pirro Maria Gabrielli, e Vitale Giordani.

De' Conſulti Italiani di Monſignore Gio. Lanciſi ec.

pubblicati da Filippo de Carolis di Ravenna Tom. I. in Roma 1761. per Generoſo Salomoni.

OPERA INEDITA.

Studia Juvenilia inchoata ab anno 1672., ſeu Repertorium Medicum. Vol. XXII.

Diarium Obſervationum Medicarum Chirurgicarum, & Anatomicarum ab anno 1681. uſque ad annum 1693.

Hiſtoriae Medicae Variae.

Repertorium Medicum, in quo ſunt notata multa morborum genera, iis adhibita remedia, eorumque exitus, aliaque plura ad rem medicam ſpectantia.

Miſcellanea Anatomica.

Praefationes ad ſingulas Oſtenſiones Anatomicas habitas in Theatro Anatomico Romanae Sapientiae. *In hoc volumine extat quoque.*

Praelectio habita in maxima Aula Romanae Sapientiae cum caperet poſſeſſionem loci Collegialis, non exhibito ſupplici libello, ſed ſponte a Collegio electus die 10. Januar. 1682.

Lettere Apologetiche tra Gio. Battiſta Salvadori, e Gio. Coſimo Bonomo, e Giovanni Lanciſi intorno all' origine della rogna.

Raccolta di 46. Concluſioni Mediche pubblicate in Meſſina nel 1665. di una Critica contro le medeſime, e della famoſiſſima Apologia di Marcello Malpighi allora Lettor primario in Meſſina, e al preſente Medico Segreto della S. di N. S. Innocenzo XI. fatta in oſſequio dell' Autore dal D. Gio. Maria Lanciſi Medico Collegiale, e Lettor pubblico in Roma nel 1693. *Memoratu digna ſunt quae Lanci-*

ſtus praefatus eſt de Malpighii Apologia. Uſcì ella dalla penna (*inquit ille*) di queſto grand' uomo nello ſpazio di ſoli 25. giorni, come egli più volte mi ha confermato, e . . . contiene i ſemi di quaſi tutte le invenzioni Anatomiche pubblicate dopo da lui, e da altri Profeſſori. *Collegit quoque Lancisius magnam copiam Conſiliorum ejuſdem Malpighii, atque ad ea notas quaſdam appoſuit.*

Giornale dell' ultima infermità d' Innocenzo XI. diſteſo da Giò. Maria Lanciſi, e dedicato al S. P. Clemente XI. *In hac ephemeride multa ſunt quae pertinent ad declarandos mores conſuetudinemque vitae illius Sanctiſſimi Pontificis.*

Praefationes atque Orationes habitae in Archigymnaſio Sapientiae. *Hae quidem ſunt*

Proluſio de Laudibus Anatomiae *habita cum primum anno* 1684. *ad hanc facultatem docendam venit.*

Praefatio in Chirurgicas de vulneribus capitis Praelectiones habita an. 1685.

.... ad Praelectiones de externis tumoribus habita an. 1686.

.... ad Praelectiones Anatomicas an. 1687.

.... ad Praelectiones de capitis vulneribus. *In hac praefatione dicta an.* 1688. *oſtendit Lanciſius auctoritatem ſine ratione plerumque obeſſe.*

.... Ad praelectiones de tumoribus an. 1689.

.... Ad Praelectiones Anatomicas an. 1690. *In his Praefationibus* ad Praelectiones Anatomicas *ſaepe totus in eo erat Lanciſius, ut oſtenderet Anatomen eſſe vel maxime neceſſariam ad Medicinam faciendam.*

.... ad Praelectiones de capitis vulneribus an. 1691. *Redit hoc anno ad capitis vulnera, propterea quod anno*

1688. *quo tempore inſtituerat commentariis illuſtrare practicum Hippocratis librum* de capitis vulneribus, *juſſu Summi Pontificis ad majus opus vocatus non potuerat in incoepto permanere*.

.... ad Praelectiones de Tumoribus an. 1692.

.... ad Anatomicas praelectiones an. 1693.

.... ad Praelectiones de Vulneribus capitis an. 1694.

... ad Praelectiones de Tumoribus an. 1695.

Proluſio ad Hippocratis Prognoſtica, habita VI. Id. Novemb. MDCXCVI. cum evectus fuiſſet ad Cathedram Theoriae Extraordinariae. *Ait hoc ſibi propoſitum eſſe, ut oſtenderet*, Praeſagiorum aphoriſmos accurata, multiplici ac repetita obſervatione a divino Sene compilatos acceſſione novarum doctrinarum, Chimiae ſcilicet, Anatomes, & Mechanicae tantum luminis accepiſſe, ut qui olim a poſteriore, ut ajunt, dumtaxat, vel plerumque minus probabili ratiocinio reſolvebantur, modo veram & a priori cauſſam in propatulo nanciſcantur.

.... ad Praelectiones de urinis, habita in inſtauratione ſtudiorum an. 1697. prid. id. Novemb.

.... ad Praelectiones de pulſibus, habita poſt longam Auctoris aegritudinem VIII. Kal. Decemb. 1698.

Oratio Inauguralis ad commentarios in libros Hippocratis, habita V. Idus Novembris 1699. *In hac explicat dictum illud Hippocratis, quod multorum interpretum torſit ingenia*. Si quid divini in morbis ineſt, illius quoque ediſcere providentiam.

Proluſio Inauguralis habita nonis Novembris 1701. cum ad ordinariam Practicae Cathedram evectus fuiſſet. *Egit eo anno de morbis capitis*.

Proluſio ad Tractatum de Aneuryſmatibus, habita VI. Id. Novembris 1702.

Oratio de Laudibus Leonis X. habita in Aede Sacra Romani Archigymnaſii 1685. *Laudat in ea temperantiam, fortitudinem, prudentiam, ac juſtitiam illius Pontificis.*

.... de laudibus litterarum, habita in eodem Templo die 18. Octobris 1688. *Oſtendit in ea, litteras vivo homini brevem ſuavemque mortem, mortuo vero perennem ac glorioſam vitam largiri.*

Oratio in funere Leonis X. habita in eodem Templo an. 1696. *Probat non ſolum utile, ſed etiam neceſſarium eſſe Principibus viris litterarum ſtudium.*

Oratiunculae variae habitae in tradendis laureis.

Praelectiones de Tumoribus.

.... De Myſologia.

.... de Univerſalibus tegumentis, *aliiſque rebus anatomicis: reperiuntur in memorata* Miſcellanea Anatomica.

Tractatus de urinis, & commentaria in Hippocratis libros de Prognoſticis ſub annis 1696. & ſequenti adornata. *Materiam urinarum in quinque libros dividit, nimirum in Phyſiologicum, in Pathologicum, in Semioticum, in Hygieinum, & in Therapeuticum.*

.... de Formatione foetus in utero.

Commentarii in Hippocratis librum de capitis vulneribus. *Sic interpretatur hunc librum Lanciſius, ut non tam interpretis, quam veritatis indagatoris officium praeſtet, utiturque opportune dicto illo Galeni.* In Hippocrate & aliorum dictis id obſervo, ut non temere approbem quae ſcripſerint, ſed experientia, ratione verum ne, an falſum ſit examinem. *Sane in his commentariis multa, eaque recondita doctrina comparet.*

Tractatus de Febribus in Romano Lycaeo Auditoribus

ſuis exhibitus an. 1703. cum extemporanea ad hunc Tractatum Praelectione.

Conſiglj e Riſpoſte intorno a diverſe indiſpoſizioni. *Italice ſcripta Vol. X., Latine Vol. III. Diſtribuuntur haec Conſilia in genera morborum: ſaepiſſime vero adjungitur iis, qui fuerit exitus morbi, de quo conſultus eſt. Significavit aliquando Lanciſius per Litteras Morgagnio, velle ſe adnotare non modo exitum morbi, ſed etiam ſigna, quae animadverſa ſunt in cadaveribus eorum, quos medicina curare non valuit: cui reſpondit Morgagnius, ſuſcipere eum curam & cogitationem digniſſimam virtutis ſuae, utque ſtimulos eidem admoveret, poſuit ante oculos exemplum doctiſſimi viri Laelii a Fonte. Ego tamen raro haec ſigna notata vidi in iiſdem Lanciſianis Conſiliis, ſaepiſſime num ii qui convaluerint, in veterem morbum delapſi fuerint, aut a novo tentati.*

Lettere ſcritte ne' tre viaggj fatti a Urbino. *Vol. III.*

I. Volumen continet decem Epiſtolas ſcriptas ad Chriſtophorum Batellium menſibus Octobris & Novembris anni 1703. in iiſque deſcribuntur quae obſervatione digna putavit Lanciſius. Riſi eo loco, quo idem narrat, ut ſolaretur Rhedarium, qui in via deterrima ac praecipiti equum amiſerat, illi promiſiſſe ſibi curae fore, ut monumentum huic equo fieret, quod exaequaret amplitudinem illius, quo libuit Carolo VIII. memoriam poſteris prodere Morelli ſui. Huic enim ſane generoſiſſimo equo celebrem victoriam, quam in Valle Tari reportavit, referebat acceptam. Haec vero in monumento inſcribere ſe velle ajebat Lanciſius.

MORELLO

VELOCISSIMO FULGINATENSI EQUO

STATURA LICET HUMILI EXCARNIQUE CORPORIS

HABITU

SPIRITU TAMEN REDUNDANTI

QUI

SUUM NE PERDERET HERUM

VEL IN IPSO AGONE GENEROSUS STANS

DIEM SUUM OBIIT

GRATI ANIMI MONUMENTUM POSUIT

LANCISIUS.

II. Vol. continet epiſtolas ad Curtium Origum ſcriptas anno 1705. Habet & Italicam Orationem dictam a Lanciſio in Academia Aſſorditorum, in qua oſtendit, = Non baſtare l' opera benefica d' un eccelſo cittadino, ſe l'univerſal corpo de' Cittadini ſteſſi a quella non ſi ſtudia di cooperare. *Habet quoque paſtoritiam Orationem a Lanciſio duarum horarum ſpatio compoſitam, & a quodam Beluzio Piſauri dictam, cujus argumentum eſt* = Che l' umana felicità non vien turbata, ma più toſto accreſciuta dalle uſanze che corrono = *Per jocum hanc ſe feciſſe orationem ait Lanciſius, neque contrarium contrario opponeret. Nobilis enim & erudita femina Theodora Ondedeja protulerat ſimilem Paſtoritiam orationem in qua probabat,* = Che le mode e le uſanze correnti tolgono gran parte dell' umana felicità.

III. Vol. continet varias tum Italicas, tum Latinas epi-

ſtolas ad Familiares. Fatetur Lanciſius omnes, quas tria haec volumina complectuntur, epiſtolas, plenas eſſe feſtinationis, & pulveris.

Epiſtolarum Amaebaearum libri quinque. *Utinam exurgeret aliquis, qui has epiſtolas in vulgus ederet. Haberent enim viri litterati, ac praeſertim rei medicae cultores, quo ſe utiliter oblectarent, ſtudioſi vero Lanciſii, quo magis magiſque ejus doctrinam, animi virtutes, ac famae celebritatem hominibus probarent. Profecto ſi illi diutius vivere contigiſſet, non tam ſua ſponte, quam amicorum hortatu incitatus has epiſtolas typis commiſiſſet. Sic enim ſcribit Joanni Olivae Rhodigino in epiſt. dat. III. Id. Octobris an.* 1719. Porro ut epiſtolas meas typis edere non reformidem (quanquam propere celeriterque exaratas, ſempiterniſque potius tenebris demandandas, quam publica luce donandas exiſtimo) non tam facit judicium tuum, quod ab amore exortum, atque ad indulgentiam flexum video, quam quod doctiſſima amicorum vel conſulta vel reſponſa perire iniquum arbitror. Veniam itaque a Lectoribus polliceri licebit litteris meis, ſi earum ſaltem occaſione eruditiſſimis amicorum commentariis rem litterariam locupletavero, ut quem voluptatis atque utilitatis fructum ex meis capere non potuerunt, ex alienis, ac tuis quoque laboribus capiant. *Praeter haec epiſtola multa continet, quae oſtendunt, quanta fuerit Lanciſius induſtria, quam ei omnia tempora occupata fuerint; adeo ut vere gloriari potuerit, nunquam minus ſe otioſum fuiſſe, quam cum fuiſſet otioſus.*

Diſcorſo ſopra il Salaſſo. *Non auderem pro certo commentariolum hoc tribuere Lanciſio.*

Giornale intorno alle indiſpoſizioni di S. B. Papa Clemente XI. colla deſcrizione delle ſue villeggiature.

Satis multa de Lanciſio. Non tamen huic vitae finem faciam priuſquam referam quae ipſe ſcripſit, ut eſset quod incidi poſset in Fonte (huic nomen eſt Lanciſianus) ſaluberrimae aquae, quam ſuo conſilio ad Tyberis ripam prope Noſocomium S. Spiritus duxit S. P. Clemens XI.

CLEMENS XI. P. M.

AQUAM SALUBERRIMAM

TEMPORIS INJURIIS ITA DISPERSAM

VT EJUS VESTIGIUM IN RIPA TIBERIS VIX

EXTARET

NOVO DUCTU PLUMBEISQUE

COERCITAM TUBIS

EXTRUCTO PONTE MOLLITO ADITU

PUBLICO USUI COMMODIOREM UBERIOREMQUE

RESTITUIT

ANNO SALUT. MDCCXX. PONTIFIC. XX.

ΑΡΙΣΤΟΝ. ΜΕΝ. ΥΔΩΡ.

Angelus Fabronius

Masinio Comiti

S. P. D.

Scribenti mihi de Bacchinio & Valſechio doctiſſimis hominibus e Benedictina familia perbeati illi videri ſolent, qui eum ſtudiorum curſum, quem magis exoptarunt, tenere potuere, & qui cum incidiſſent in ipſam perturbationem rectae inſtitutionis, nihil non egerunt ad excitandos ſuos ad eas artes, quibus ipſi maxime dediti fuerunt, celebrandas atque inter ſe recolendas. Quis autem dubitabit fore permultos Monachorum in quoque genere perfectos non mediocrium modo artium, ſed etiam maximarum, ſi nihil aliud alumnis ſuis imponerent oneris, niſi ut operam, curam, induſtriam, cogitationemque figerent in ea facultate, ad quam ſe propenſiores eſſe intelligunt, ac naturam optimis praeceptis adjuvarent, neque invitos omnes cogerent alieno potius, quam proprio parere ingenio, & tragoedias in nugis, ut dicitur, agere? Ingenia quidem Italorum,

lorum, ut multis rebus poſſumus judicare, multum ceteris hominibus omnium fortaſſe gentium praeſtant: nihilo tamen minus plures ex una Maurinorum Monachorum familia illuſtres homines in Gallia prodierunt, quem apud nos ex univerſis pene Benedictinis familiis, quod non ut ii quaeramus quod genus inſtitutionis ſit optimum, quod cujuſque appetat ingenium, & quod ſit illud quod reipublicae emolumento, litteris utilitati & familiae honori eſſe poſſit. Quid porro eſt tam furioſum quam Scholaſtica philoſophia atque theologia (quae unae in Monachorum clauſtris diu dominatae ſunt) nulla ſubjecta rerum utilium ſcientia, ac innumerabilibus propoſitis quaeſtiunculis ad torquendos homines contentionis, quam veritatis cupidiores idoneis? At ſi Monachi antiquiſſimis temporibus de litteris non male meriti ſunt, quin ii omni ope enituntur, ut ad veteres laudes novas addant, praeſertim cum ii abundent copiis ad libros emendos edendoſque, caeteraque comparanda doctrinae inſtrumenta, eum otio quoque affluant, neque accurata quadam orationis copia ad cohortandam excitandamque juventutem ſuam indigeant, cum nutu atque verbo illam, quo volunt, ducere atque transferre poſſint? Ac mihi

ſaepe numero memoria vetera repetenti non ſapientes modo, ſed etiam divini fuiſſe ii videntur, qui dum litterae tanquam inſcitiae fluctu miſere obruebantur, portum morientibus pandere atque aperire potuerunt, quod cum praeſertim fieri per Monachos Carolingii Imperatores intellexiſſent, muſarum ſacraria cum Monaſteriis conjuncta ſemper eſſe voluerunt. Hinc varia apud eoſdem ſcholarum genera, quarum nonnullae minores *idcirco appellabantur, quod praeter rudimenta catholicae Fidei, pſallendi ratio, grammatica, & arithmeticae elementa in iis traderentur; aliae* majores, *quod altioribus explicandis diſciplinis eſſent deſtinatae; aliae* interiores, *propterea quia ſolis ad eas pateret Monachis aditus;* exteriores *demum aliae, quod laici ad eaſdem admitterentur. Nota ſunt autem barbara illa vocabula* trivii *&* quadrivii *ad indicandas binas claſſes, in quas diſtributa erat omnis inſtitutio puerilis. Prior clericis cum laicis erat communis, & grammatica, rhetorica, & dialectica continebatur, poſterior autem ſolis clericis relicta muſicam, arithmeticam, geometriam & aſtronomiam complectebatur. Vetus autem opinio eſt noluiſſe homines ſacris addictos laicorum ingenia iis excoli diſciplinis, quibus apti*

ſierent ad indagandam, atque exquiſitis argumentis, juſtoque concludendi modo demonſtrandam veritatem, ut ipſi ſoli ſapere, ac graviſſimis reipublicae muneribus gerendis ſoli idonei viderentur. Nimis longum foret hoc loco referre inſignes doctrina homines, qui media, ut loquimur, aetate e religioſis clauſtris prodierunt; ipſorumque Caeſarum & Regum filii eo conſilio ad monaſteria mittebantur, ne plane rudes eſſent in litteris & in rerum civilium cognitione atque prudentia. Quis ignorat quam alte aſcenderit Sugerius S. Dionyſii in Gallia Abas, a quo bini Reges Ludovicus VI. & VII. petenda eſſe duxerunt non ea ſolum quae ſtatuta eſſent de Deo, de morum diſciplina, de juſtitia, de temperantia, de modo rerum omnium, ſed etiam de legibus aut jubendis aut vetandis, de bello, de pace, de ſociis, de vectigalibus, de jure civium, ac praeſertim nobilium, qui feudis dominarentur. Neque vero hanc ſuam ſcientiam vir religioſus inter unius coenobii clauſtra continuit, ſed in orbis lucem protulit, cum ampliſſimis functus eſſet legationibus, & gubernacula totius Galliae regni multis annis tractaſſet, &, quod glorioſius puto, viam quadammodo ſtraviſſet ſapientiſſimis illis inſtitutionibus, quae

adeo S. Ludovici Regis nomen illuſtrarunt. Atque haec non eo dico ut velim Monachum verſari in perſpiciendis rationibus conſtituendarum & regendarum rerum publicarum, quanquam haec ipſa adeo propria ſint philoſophiae, ut a veteribus politicorum nomine philoſophi appellarentur, ſed contendo debere illum pro ratione temporum ſic moderari ſtudia ſua, ut illa perſequatur quae ingenio ſuo ſint accommodata, & quae reipublicae magis expediant; eliminandos malos libros ac malos inſtitutores, qui nil aliud docent niſi diſputandi artem; non jejunam atque nudam eſſe debere Monachorum inſtitutionem, ſed adſperſam atque diſtinctam multarum rerum jucunda varietate; ſi phyſicam amant, non in Peripateticorum ſomniis, ſed in recentiorum inventis tenendis exercendos; haud interdicendum iis verſari in chymicis, botanicis, aſtronomicis, mathematicis, ſed aditum ad omnes utiles diſciplinas atque artes iis libentiſſime aperiendum. Equidem te cum in dicendo ſemper putavi deum ob ſingularem multarum maximarumque rerum ſcientiam, tum vero tibi nunquam eloquentiae majorem tribui laudem, quam cum Piſis te audivi cauſſam agere optimorum ſtudiorum, & adducere in orationem tuam non jam otioſum

aliquem & loquacem, qui ex ſcholis nil niſi cantilenam requirit, ſed ſummos homines ingenio Joannem de Miro, & Benedictum Bacchinium, qui ad ſacras litteras multarum linguarum & diſciplinarum ſubſidium attulerunt, quorum veſtigia perſequi eos omnes debere affirmabas, qui in aliquo theologorum numero haberi cupiunt. Sed vereor, mi doctiſſime Maſini, ne dum cupimus novam ſtudiorum rationem in religioſorum omnium hominum clauſtra inducere, imitari videamur Platonem, cui cum dicendum eſſet de juſtitia & fide, novam quamdam finxit in ſcriptis civitatem, uſque eo illa, quae dicenda putabat, a vitae conſuetudine & a civitatum moribus abhorrebant. Verum ſi noſtra conſilia minime probabuntur ab omnibus, gratulabimur tamen nobis, quod ea loca incolamus, iiſque vivamus temporibus, quibus libere licet quae ſentimus proferre, quibuſque nonniſi iis parere & ſervire cogimur, quibus & poſſumus & debemus. Vale eorumque Vitas libenter excipe, quos tantopere & quidem jure optimo praedicabas.

Piſis V. Kal. Quint. MDCCLXXX.

Benedictus Bacchinius.

BEnedictus Bacchinius natus eſt an. MDCLI. prid. Kal. Sept. ea in urbe Mutinenſis ditionis, quae Burgum S. Domnini appellatur. Bimulus Parmam a patre ductus eſt, quam alteram patriam ſibi eſſe dicebat ob ſtudiorum cauſſam, ob donatam familiae paternae civitatem, & quod ejus mater Joanna Martinia ea in urbe natale ſolum habuerat. Ibi ſatis liberaliter educatus eſt, quanquam aſotus avus & indiligens pater ſatis lautum patrimonium diſſipaſſent. Quinquennio Jeſuitas audivit; ſed ſtudia, quae reconditis in artibus verſantur, exercuit apud Benedictinos Monachos, quorum familiae nomen dedit, cum ageret aetatis annum decimum & ſeptimum. Mirabantur, ſeu potius indignabantur, qui ei contigere philoſophiae praeceptores, quod non ſtatim crederet eorum dictis gratiae, aut odio eorum ſubſcribens, omniaque alterius opinione, ut tum fiebat, ponderans. Recreabat vero ſe Benedictus ab moerore perverſae inſtitutionis, cum ſecreto mathematicum

aliquid & phyſicum per ſe tentaret, certumque veritatis fontem reperiret. Miſerandos vero magis quam damnandos pro infeliciſſima temporum conditione putabat Scholaſticos in nihil agendo quaerendoque totos occupatos, quorum opinionum pravitate ne inficeretur cavit ſemper, ſed eo praeſertim tempore, quo rerum divinarum ſcientiae operam dedit. Juvenis ſaepe periculum ingenii ſui fecit in illis theologicis & philoſophicis diſputationibus, quibus primas concedere videntur omnium pene religioſarum familiarum magiſtri; quamvis ſaepe eveniat, ut per eas vanus animus aura captus frivola arripiat inſolentem ſibi fiduciam, & ad deriſum ſtulta levitate ducatur. Tum Bacchinius incepit diſcere, quando ceteri ceſſare ſolent, neque mediocriter Noriſio & Magliabechio, quos Florentiae noverat, dum ea in urbe ſacras ad populum conciones habebat, & Joanni Baptiſtae de Miro, a quo Graecis litteris inſtructus fuit, ſe debere profitebatur, quod rectam ſtudiorum viam fuerit ingreſſus. Quia ei omnis ferme ſpes, & ratio, & cogitatio pendere videbatur ex Angeli Mariae Arcio-

nii nutu, a cujus latere vix diſcedebat, cuique ſuſtinenti inſigniora Caſinenſis familiae munera diu ab epiſtolis fuit, aegre ab eodem obtinuit, ut illi ſtudio, ad quod magis natura & voluntate ferebatur, ſe dedere poſſet. Exiſtimabat enim Arcionius e re Bacchinii & univerſae familiae eſſe, ſi ab eloquentia, in qua excellere putabatur, minime ſe disjungeret. Sed facile erat illa aetate non modo rudibus, verum etiam mediocriter doctis illudere. Secus quidem de ſe judicavit Bacchinius, quamvis frequenter elaboraverit, ut conſequeretur artis dicendi rationem. Itaque alium ſibi campum, in quo deſudaret, elegit; & cum eſſet ſatis Graecae & Hebraicae linguae peritus, ad eam laudem, quam praeſertim quaerebant Maurini Monachi in ſacra & profana eruditione excolenda, aſpirare ſe poſſe putavit. Ex iis duo praecellentiſſimi Joannes Mabillonius & Michael Germanius cum forte Parmam an. MDCLXXXVI advenissent, ubi degebat Bacchinius ab Arcionio Abate coenobii bibliothecae praefectus, hunc multis cohortationibus concitarunt ad ſtudium cognoſcendae omnis anti-

quitatis. Quid poſſet interim in theologia viris rerum divinarum ſcientiae peritiſſimis voluit oſtendere, cum quaſi moderator fuiſſet cujuſdam diſputationis theologicae; & quae tum impreſſae fuerunt Theſes Mabillonio dedicavit, & praefatione ſane erudita ornavit. Sed nimium ſaepe coactus garrire in ſcholis ad omnem animi remiſſionem deſcendebat, & cum eruditum aliquid moliretur, imitari volucres ſibi videbatur, quae levandi laboris ſui cauſſa paſſim ac libere ſolutae opere volitare ſolent. Hac mente edendas ſuſcepit commentationes Helenae Corneliae Piſcopiae, de cujus vita ea ſcripſit, quae ſatis multa videri potuere ad declarandam miram virginis nobiliſſimae in Deum pietatem atque eruditionem. Valde etiam illi placuit onus, quod a majoribus accepit ordinandae bibliothecae, quae magnum tum acceperat incrementum a liberalitate Victorii Sirii Galliarum Regis Hiſtoriographi. Hic enim Pariſiis moriens Parmenſi Benedictinorum caenobio, in quo aliquandiu alumnus fuerat, bibliothecam ſuam, ſane multorum nummorum, teſtamento legaverat. Hac re ut ſe expedivit Bac-

chinius magnum opus ſuſcepit ſcribendi ephemerides Litteratorum Italiae, idque ſuadente Gaudentio Roberio Carmelita, qui libros & pecuniam ad eaſdem conficiendas atque vulgandas ſuppeditabat. Dolebat enim vir omnis eruditionis ſtudioſus glorioſum Italiae, atque utiliſſimum opus, quod per Nazarium & Ciampinium Romae coeptum erat, per eoſdem deſitum fuiſſe; quare de hoc renovando idcirco Bacchinium cohortabatur, quod hunc unum ex omnibus ob varietatem & copiam doctrinae & acumen ingenii in judicando ad id maxime aptum ſe cognoviſſe dicebat. Nemo vero ignorat, qui munus hujuſmodi ſuſcipit, nulla ferme in re tyronem ac rudem, peregrinum atque hoſpitem eſſe debere, paratumque ad innumeras pene exorbendas difficultates atque incommoda. Profecto ſatisfecit Bacchinius hominum expectationi, & quod orſus fuerat anno MDCLXXXI. perduxit ad exitum uſque anni MDCXC. Nam hoc tempore cum ei turbulentiſſimae tempeſtates impendiſſent, abeſſe debuit ex ea urbe, in qua factus theologus Parmenſium Ducis, aliiſque decoratus muneribus floruerat ſumma cum

dignitate. Percommode accidit, ut poſtquam per plures civitates Italicas percurriſſet, invitaretur a Franciſco Mutinae Duce ad domicilium ea in urbe collocandum, quod cauſſam dedit novis ephemeridibus, quae Mutinenſibus typis an. MDCXCII. & eo qui conſecutus eſt, vulgatae fuerunt. Intermiſſae poſtea varias graveſque ob cauſſas, poſt iterum inſtauratae, eaſque demum ſcribere omnino ceſſavit Bacchinius exeunte an. MDCXCVII. quamvis ex illo omni opere, quod novem conſtat voluminibus, plurimum utilitatis & famae perceperit. Nemo enim erat, qui eaſdem ſuperiores non poneret Romanis ephemeridibus, quorum in locum ſucceſſiſſe videbantur. Non eſt vero credibile, quanquam ei ſemper antiquiſſima cura fuerit neminem laedere, quantas ferre debuerit querelas, accuſationes & injurias hominum nimium gloriae appetentium, qui Blanchinium non narratorem, ſed patronum; & laudatorem effuſum ſibi exoptabant: vehementer quoque vexatus fuit a Fabretto, quod approbator eſſe noluerit contumeliarum, quibus ille lacerabat Gronovium, quaſi omnes ejus vo-

luntati parere, ejuſque cupiditatibus ſervire debuiſſent. Sed haec parvi fuere momenti, ſi cum iis conferas, quae a ſuis perpeti debuit. Extincto enim Arcionio, qui in maxima celebritate atque in oculis potentiorum vivebat; quemque omnes boni venerabantur, mali timebant, horum omne odium in Bacchinium, qui ab eo non ſecus ac filius diligebatur, erupit. Quoniam ipſe ſic ab hominibus doctis acceperat non ſolum ex malis eligere minima oportere, ſed etiam excerpere ex his ipſis ſiquid ineſſet boni, omnibus ſe abdicare muneribus, & in aliqua ſolitudine ad ſcribendi operam omne ſtudium curamque convertere cogitaverat. Sed conſpiratio ſceleratorum hominum contra dignitatem ſuam (nam cum ei cura commiſſa fuiſſet cujuſdam parthenopei, quod S. Alexandri dicitur, non ſolum de re male geſta, ſed etiam de peculatu accuſabatur) coegit eum fortunae ſe committere. Favit in hoc ei, quod patria expulſus in Padolironenſe Monaſterium, quod tum a Simone Bellinzanio viro omni genere laudis excellenti regebatur, receptus fuerit. Adhibita ſtatim multis magniſque in rebus

ejus opera fuit, frementibus licet adverſariis, & cum Bononiam, Mediolanum aliaſque ad urbes acceſſiſſet, ubique a doctis nobiliſſimiſque viris ſingularibus amoris & exiſtimationis declarationibus decoratus eſt. Mirabantur vero omnes quod Parmenſium Dux minime cohibuiſset iniquorum calumnias, ſineretque tantam vim virtutis atque ingenii longius a patria peregrinari. Mutinam vero veluti domum, ut diximus, ſtudio & opera praeſertim Cantellii & Ramazzinii deductus, doloris medicinam a philoſophia petiit, otii oblectationem hanc honeſtiſſimam judicans. Tum dialogos illos ſcripſit *de conſtantia in adverſis*; *de dignitate tuenda*; *de amore erga rempublicam*, qui cum toti ſint in virtute laudanda, & in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis, e Socraticorum libris, maximeque Platonis fluxiſse videbantur. Id maxime efficit Dialogorum primus, ut nihil ſit dandum fortunae, omnia liberae voluntati, quod ſi ita minime ſe haberet, non poſset beatam praeſtare vitam ſapientia. Iniuriae igitur, deportatio, fatum imminens, & alia hujuſmodi, quae in noſtra poteſtate minime ſunt, & ex,

aliena pendent malitia, minime juſtam nobis doloendi abjcendiq; animi cauſsam ſuppeditant. Secundo Dialogorum perpenditur, in quo vera conſiſtat dignitas, quibus de cauſſis ea vere laedatur; an de illius jactura, & quatenus, dolendum, & quo modo illa tuenda ſit. Fieri etiam poſſe docet, ut malorum hominum convicia dignitatem augeant, & quae ignorata delituiſſent bona, iniquis calumniis appareant. Magnam ſemper vim eſſe probat conſcientiae, ut nihil timere debeant, qui nihil commiſerunt, & ſuam unicuique pluris eſſe debere conſcientiam, quam hominum, praeſertim iniquorum, ſermones. Ita vero de republica diſputat tertio in Dialogo, ut haec ſpectetur non in aliqua parte, ſed in univerſitate generis humani, & eum optime ſuo munere fungi dicat, qui non de privata, ſed de publica re ſit ſollicitus. Miſerum autem non eſſe ob artes malevolorum republica carere, cum ſaepe fiat ut paucorum aerumnae viciſſitudinesque cum univerſorum utilitate fiat conjunctae. Atque his de rebus ſatis quidem docta, ſed non ſatis ſplendida eſt atque illuſtris oratio Latina. Facile vero

ignoſcemus Bacchinio, quod in ejus animum ceciderit aegritudo, cujus ſolatium a philoſophia petebat. Non enim ſilice nati ſumus, & eſt naturale in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine, quaſi tempeſtate, qua tiatur, quare minime aſſentior iis, qui neſcio quam indolentiam magnopere laudant, quae nec poteſt ulla eſſe, nec debet. Quamvis vero nota mihi ſint nomina eorum, quos latenter mordet in his Dialogis Bacchinius, non commemoranda tamen eſſe arbitror, quod non ſint ex oblivione, in qua jacent, eximenda, & quod abuti lectoris patientia viderer, ſi exponerem quanta in turba, quantaque in confuſione rerum omnium Parmae aliiſque in Benedictinorum Monaſteriis (quis enim iſthaec curat?) tum viveretur. Portum quietis & tranquillitatis pleniſſimum cum inveniſſet Bacchinius apud Mutinenſium Ducem, multa eodem tempore meditabatur, quae Muſis conſecraret. Factus hiſtoriographus non pauca collegit monumenta, quae ad hiſtoriam Ateſtinorum pertinebant. *De ſiſtrorum figuris ac differentiis* ea protulit, quae ſatis antiquitatis peritum illum

oſtendebant. Probavit praeſertim religioſiſſime cultam a Romanis fuiſſe Iſidem, & Siſtrum huic Deae ſacrum, & Romae iis temporibus inventum, de quo Leo Strozzius Bacchinii ſententiam ſciſcitabatur, non Aegyptium, ſed Romanum fuiſſe opus, elaboratumque circiter Commodi Caeſaris tempora. Scriptitavit quoque accurate de aliis antiquitatis monumentis, & extat epiſtola ejuſdem ad Magliabechium de Scipionis numiſmate quodam, cujus antiquitas merito a nonnullis in dubium vocabatur. Sed velim ut haec, & quae de Benedicto Accolto rogatu Magliabechii ipſius exaravit, cum Parmae ejus *de praeſtantia virorum ſui aevi* Dialogum ederet, ſic legas, ut res tenues atque inopes, praeſertim ſi cum iis conferas, quas poſtea vulgavit Bacchinius. Ipſa ſingularia beneficia quae pro ſe & pro fratre Caeſare Antonio Juriſconſulto obtinuit a Rainaldo Ateſtino, qui anno MDCXCIV. ad Mutinenſis Ducatus gubernaculum acceſſerat, magnopere ipſum excitabant ad laborem & laudem; & magna quidem fuerunt, quae biennio poſt in lucem emiſit de rebus Monaſterii S. Benedicti Padolironenſis. Ne putes jejune

unius

unius Monaſterii hiſtoriam, quam paucos noſcere interſit, a Bacchinio narrari. Quoniam Monaſterium Padolironenſe (ſic enim appellatur, quod inter Padum & Larionem illud ſitum ſit) an. ſeptimo ſupra milleſimum originem habuit a Tedaldo, qui fuerat avus Matildis Comitiſſae, auctumque plurimum a Bonifacio illius filio, & divinis beneficiis affectum ab ipſa Matilde, ut in maximis imperii curis id unum ſpectare videretur, non dubitavit Bacchinius ſic conjungere narrationem rerum geſtarum hujus heroinae, hominumque inſigniorum, quorum opera & conſilio illa uti ſolebat, cum rebus ad ſuum Monaſterium pertinentibus, ut non multum deſideres hiſtoriam contextam illorum temporum. Hinc quereberis de horum temporum iniquitate, quibus hominum avaritia atque ambitio miſcebat & turbabat omnia, quorumque ſordes cum clariſſimae feminae ſplendore permixtas videas, illinc praedicabis miram ejuſdem feminae prudentiam, conſtantiam, atque fortitudinem, & perpetuum ſtudium in ſacra, ſacrorumque antiſtites; & in omnibus iis, quae narrantur ſuſpicies Auctoris diligentiam, qui

ex annalium monumentis, atque ex antiquiſſimis tabulariis, certiſſimiſque chartis materiam operis conquiſivit. Quanquam multarum opinionum levitatem confutare potuiſſet (erant enim qui aut originem, aut jura trahere ſe arbitrabantur a Matildis ſtirpe, aut ab iis, quorum ſumma, illa imperante, fuit poteſtas, & nemo ignorat aſſentatorum laudationibus hiſtoriam rerum noſtrarum factam eſſe mendoſiorem) maluit tamen eſſe propriae ſententiae narrator, quam alienae corrector, quod quidem valere debebat ad ipſum liberandum ab omni odio atque moleſtia. Sed extitere potentiores quidam, qui offenſi animi ſigna Bacchinio dederunt, & qui gravius minari ipſi viſi ſunt, ſi porro in incepto perſiſteret. At homo veritatis amantiſſimus, qui nunquam aſperſus fuit vel minima aſſentationis ſuſpicione, minime a ſe impetrare potuit ut ad aliorum voluntatem ſcriberet. Itaque de perficiendo opere omnem cogitationem abjecit, jure meritoque ſibi plaudens, quod in prima, quae extabat, ejuſdem parte plura aut incognita aut obſcura de Matildis vita optimo in lumine collocaſ-

ſet. Quod ſtudium rerum ad hiſtoriam, ut dicitur, medii aevi etſi ſerius arripuerat, tamen tantum in eo progreſſum fecit, ut non facile reperire poſſis quod ei fuerit incognitum. Quare his ipſis de rebus ſaepe conſulebatur, cumque invitaretur ad hiſtoriam Ateſtinorum conſcribendam, multis, uti ſupra commemoravimus, collectis monumentis, ſic nobiliſſimae Italarum familiae originem ſubtexuit, ut ex iis clarorum Principum propagines poſſemus cognoſcere. Quanto haec uſui fuerunt Muratorio dum magnum ſane opus conficeret de Ateſtinis antiquitatibus, grate ac lubens ipſe declaravit. Aliquid etiam hujuſmodi antea concinnaverat Bacchinius de Farneſiorum familia ad confutandum magis Theodorum de Amadeno aſſentatorum impudentiſſimum, & ad dirimendam controverſiam ea de re ortam inter ipſum & hominem Jeſuitam, quam ad ejus familiae hiſtoriam contexendam. Sed majora etiam aggrediendi cogitationem ſuſcepit poſtquam Caſinenſe tabularium inviſit, invitante, qui illi Monaſterio praeerat, Hippolyto Penna, & pecuniam ad iter faciendum ſuppeditante Eraſmo Gottola.

Diu illum pene ſtupidum detinuit magna antiquiſſimarum chartarum vis, per quas, ut ille ad Magliabechium ſcribit (1) hiſtoriam medii aevi plurimum a ſe illuſtratum iri ſperabat. Magni pretii etiam codices in Bibliotheca invenit, atque toto illo tempore, quo Caſini commoratus eſt, multorum non modo diſcendi, ſed etiam ſcribendi ſtudia commovit. Praetereo, quae itinere illo, & praeſertim dum Romae & Neapoli fuit, inter ipſum & ſummos viros familiariſſime dicta,

(1) *Del reſto è ſtata tanta la ſodisfazione da me provata nel paſſato mio viaggio, che mi pare di 46. anni che tengo d'età, d'aver viſſuto i ſoli cinque meſi paſſati. In Monte Caſino ho rivoltato quell' Archivio veramente venerabiliſſimo, nel quale quando non vi foſſe altro che i Diplomi ſpettanti ai Principi Longobardi coi quali il Pellegrini ſtampò la loro ſerie, queſti baſterebbero per renderlo ſtimabiliſſimo: ma quanto più lo rendon tale gli originali di tanti Imperatori e Pontefici, oltre il tranſunto di altri che ſi leggono nel regiſtro di Pietro Diacono! Ho veduto inoltre carte di Conti e minori Signori di parti diverſe, dell' Apulia, della Campagna, della Calabria, d' alcuni Re di Sardegna, come ancora d' alcuni Prefetti per gl' Imperatori Coſtantinopolitani da recar lume alla politica ed all' iſtoria de' tempi baſſi. Di tutto ciò ſpero ſe ne darà preſto il ſaggio, quando comparirà ciò che deve eſſer il frutto di queſto mio viaggio.* Epiſt. dat. Non. April. 1697.

ſcripta, communicata ſunt, de quibus referre ſolebat ad Magliabechium, cujus amicitiae vel occultiora credebat. At illud minime omittendum puto nihil non egiſſe Aguirium Cardinalem, ut Romae & apud ſe retineret hominem, cujus miram doctrinam eruditionemque ſuſpicere, humanitatemque amare omnes debere palam praedicabat. Cumque ei perſuaſiſſet, ut ad munus quoddam (cuſtodem vocant Vaticanae Bibliothecae) aſpiraret, decedenti de ſtadio pene iratus eſt, quod diceret ſic eſſe currendum, ut vincamus eos quibuſcum certamus, praeſertim ſi valemus viribus ad eoſdem ſupplantandos vel manu depellendos. Sed Bacchinius otium tranquillitatemque ſpectans Mutinam rediit, magno ſane praemio donatus ab illius civitatis Duce, quod competitricem ſcenam Romae habere recuſaverit. Nam illum bibliothecae, quam in ipſis ſuis aedibus Muſis dedicare voluit, praefecit. Magni ſane laboris ac temporis fuit ex inordinato in ordinem immenſam prope librorum copiam adigere, atque hanc cauſſam fuiſſe arbitror, quare e manibus depoſuerit inchoatum hodoeporicon,

quod imitatus Mabillonium ſapientiſſimus rerum inquiſitor in vulgus edere meditabatur, Omnino Bacchinius ſibi beatus eſſe videbatur, quod abdere ſe poſſet in bibliothecam rariſſimorum codicum refertiſſimam, cumque unum aut alterum in manus ſumeret, veniebat in cogitationem aliquid cudendi quod praeteritarum rerum hiſtoriam illuſtraret. Conſtitit demum in *libro Pontificali Agnelli*, qui vitas continet Pontificum Ravennatium. Vixerat ſcriptor ille ſaeculo IX. & quamvis barbare loquatur, nec delectu aliquo nec ſapientia judicet, ſed impetu nonnunquam & quadam temeritate (favebat enim Schiſmaticis eorumque infectus erat erroribus) & non pauca etiam aniliter & ſuperſtitioſe dicat, & inerudita atque abſurda reſpondeat cum ſacrarum litterarum interpretem agit, & ſaepe etiam ad maledicta ſui perpetuus laudator dilabatur, nihilo tamen minus dignum illum putavit, cui multum ſtudiorum ſuorum impertiret. Porro magnum onus ſuſcepit, cum omnia non ſolum ab Agnello prolata, ſed etiam illuſtrium Scriptorum de Rubeis, Baronii, Ughellii, Voſſii, Papebrochii, aliorumque ſen-

tentias, quae ad Ravennates Epiſcopos pertinent, perpendere ſibi propoſuiſſet; quod quanti faciendum ſit ii judicabunt qui norunt latiſſime patuiſſe hiſtoriam Ravennatis Eccleſiae; & ad multas ac praeſertim Romanam pertinuiſſe. Ipſa praefatio libri declarat quod jus eſſet Romanorum Imperatorum in Eccleſias ſacrorumque antiſtites; fonteſque multarum diſputationum aperit, qui jure Pontificio & legibus continentur. Ordo ſerieſque Epiſcoporum; eorum geſta inſigniora, habita ab iis concilia; templa lautius aedificata; peculiares quidam ritus; ſuperiorum temporum conſuetudines; verborum Gothicorum quorumdam explicatio; omnia denique illa quae ſpectant ad Gallam Placidiam, & ad Longobardorum in Italiam introitum, & innumera hujuſmodi alia ita opportune atque erudite notantur a Bacchinio, ut nihil poſſit eſſe dulcius ejus opere antiquitatis amatoribus. Quot errores emendantur! quot res, quae erant aut obſcurae aut incertae, aperiuntur atque confirmantur! Difficile eſt quod cum ſpe magna ſis ingreſſus id non exequi uſque ad extremum. Itaque cum intellexiſſet Bacchinius,

ubi primum acceſſit ad illuſtrandum Agnellum, vix fieri poſſe ut Ravennatis Metropolis originem inveniret, niſi de univerſa Eccleſiae hierarchia ejuſque initiis ſeparatim tractaſſet, omni ſtudio ad hujuſmodi opus conficiendum incubuit. Nemo vero ignorat hac de re ſumma adhuc eruditorum hominum diſſenſione certari, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias. Plerique arbitrantur ad imperii Romani normam conſtitutam hierarchiam, & Apoſtolos ipſos in condendis Eccleſiis civilium provinciarum, magiſtratuumque, qui ipſas gubernabant, rationem habuiſſe; ſunt qui putant ſpectatam etiam urbium celebritatem atque frequentiam, quorum aliorumque ſententias cum ad examen revocaret Bacchinius, in tot incurrere difficultates ſenſit; ut ipſas deſerendas, ac novam quamdam in medium proferendam judicaverit. Tripartita eſt diviſio operis. In altera quidem de ſtatu, in quo Apoſtolorum aetate Romanum erat imperium, ſic diſſerit, ut nec aptum nec congruens illud fuiſſe probet condendis Eccleſiis, quemadmodum conditas ab iiſdem Apoſtolis fuiſſe ſcimus. In altera perſequitur

Italicorum Metropolitarum origines, de Ravennati ſeparatim diſputaturus in tertia. Pro certo habet Bacchinius Apoſtolos in inſtituendis Eccleſiis juriſdictionem ſpectaſſe tribunalium Hebraeorum, quae *ſynedria* appellabantur, ſic ut ubi frequentiora atque illuſtriora eadem erant, principes ibidem condiderint Metropoles, quae in eorum locum ſucceſſiſſe videntur. Hinc rationem reddit, quare Alexandrina Eccleſia ceteras Orientis omnes, & vel Antiochenam ipſam, quamvis antiquiorem, dignitate ſuperaverit. Quoniam vero ad ſuam bene conſtabiliendam ſententiam neceſſe eſſe putavit non formam modo exponere reipublicae Hebraeorum, hujuſque adminiſtrationis eo maxime tempore, quo vivebant Apoſtoli, ſed ad fontes uſque eorum juris ac legum pervenire, & rem a capite, ut dicitur, arceſſere, tanta eruditionis copia argumentum hoc tractavit, tantoque acumine quaeſita ad rem ſuam accommodavit, ut ſi ex iis, quod vult, plane non efficiat & cogat, delectet tamen ipſa varietate rerum, ſeque plurimum arte valere oſtendat ad id, quod in quoque veriſimile eſt, eliciendum. Nume-

tandi ei, ut ita dicam; fuerunt Hebraei, qui diverſas Romani Imperii Urbes frequentabant, ut ex eorum majori minorique numero quaſi gradus dignitatis celebriorum Metropoleon conjiceret. Hinc principem locum tenuiſſe ait Alexandriam, ſecundum Antiochiam, tertium Hieroſolymam, quartum Epheſum; & ſic de ceteris, ut tandem gradum faciat ad Occidentis Eccleſias. Romanam quidem ceteris praeferri debuiſſe ait, quod in Urbe tantummodo magna vis eſſet Judaeorum, qui ſuis regebantur legibus; idcirco vero factam illam fuiſſe univerſarum caput & matrem, quod ad repraeſentandam Judaeorum & Gentium conjunctionem omnium eſſet aptiſſima (1). Sic condita Romana Eccleſia, ſe-

(1) Rem Lectori gratam me facturum arbitror ſi ipſis Bacchinii verbis ſummam totius operis hoc loco exponam. *Fu da S. Pietro*, ait ille, *eletta Roma per mettervi la prima Cattedra, poichè ella ſola era proporzionata a congiungere l' Occidente Criſtiano di ſoli Gentili, con l' Oriente miſto di Giudei, e di Gentili. Non l' era e per ragion del ſito, e per ragione della ſuddetta miſtione nè Antiochia, nè Aleſſandria, nè l' altre dell' Aſia, o dell' Europa Orientale, e meno di tutte l' era Geruſalemme, Chieſa con le a lei ſottopoſte della Giudea, compoſta di ſoli Giudei credenti. Gli*

rius in Italia eſſe caeperunt Metropoles, & vel antiquiſſimae, ut ſunt Mediolanenſis, Aquilejenſis, & Ravennas ortae putantur Conſtantini Magni aetate, quo quidem tempore

editti di Claudio, e la prodigioſa moltitudine d' Ebrei col loro Sinedrio in Aleſſandria furono cagione, che quella Chieſa foſſe antepoſta a tutte le altre Giudaico-Gentili. A tale ſiſtema ſi conformò Pietro, e con lui gli Apoſtoli fondando le prime Chieſe. L' Occidente non poteva unirſi in una ſola Chieſa coll' Oriente, con la ſteſſa regola, poichè in eſſo nè erano frequenti i Giudei fuori di Roma, nè in Roma avevano i privilegj conceduti ad Aleſſandria, & ad inſtar d' Aleſſandria, alle Provincie Orientali. Fondandoſi dunque Geruſalemme ſi fondò la Metropoli delle Chieſe Giudaiche. Fondandoſi Antiochia ſi fondò la Metropoli prima per ragion di tempo, di Chieſe, in cui i Gentili convertendoſi, paſſavano al Giudaiſmo Criſtiano. Fondandoſi Aleſſandria ſi fondò la Metropoli prima per ragion di privilegj Giudaici conceduti da Claudio. In Antiochia creoſſi il Sinedrio Criſtiano differente dal Geroſolimitano primo di tempo, e però Pietro ne fu l'Autore immediato in perſona: in Aleſſandria ſi fondò il Sinedrio Criſtiano primo di dignità Giudaico-Gentile, e però anche queſto riconobbe da Pietro i ſuoi principj. L' altre Chieſe dell' Aſia, della Macedonia, e dell' Acaja, e di Creta ſullo ſteſſo ſiſtema Giudaico de' Sinedrii Provinciali, ad eſempio de' fondati da Pietro, furono colle loro Metropoli fondate, e ſe ne hanno i riſcontri nella Scrittura. La Chieſa di Roma non poteva fondarſi da altri, che da quell' Apoſtolo, che foſſe il principio dell' unità Giudaico-Gentile, e queſti fu il ſolo S.

ad civilis reipublicae formam illae inſtitutae videntur. Quamvis ex multarum reconditarumque rerum cognitione efforuerit ac redundaverit totum hoc Bacchinii opus, adeo tamen illud Dupinio diſplicuit, ut ab eodem exagitando minime abſtinuerit (1). Se quidem contemni & deſpici minime paſſus eſt Bacchinius, quamvis averſo animo eſſet a contentionibus; quare facile a ſcriptoribus ephemeridum litteratorum Italiae obtinuit, ut ſui defenſionem arriperent (2). Sed eorum oratio in explicanda magis confirmandaque Bacchinii ſententia, ponendiſque ratione atque ordine ſub uno adſpectu iis, quae diſperſa atque infinita erant, quam in refellendo Dupinio verſatur. Hic enim ridendi magis quam pugnandi argumentis ac rationibus

Pietro. S. Paolo come Apoſtolo ſpeciale de' Gentili concorſe alla grand' Opera, ma non fondò l' unità, che era come il centro nel ſolo Pietro, e da lui derivabile ne' ſucceſſori. Ed eccovi in riſtretto ciò, che più ampiamente troverete provato nella mia già citata Diſſertazione delle Origini dell' Eccleſiaſtica Gerarchie, a cui mi riporto, e che dovrà confutare chi verrà impugnarmi.

(1) In poſtremo vol. Biblioth. Eccleſ.

(2) Vid. vol. 22. p. 27. & 23. p. 185.

occaſionem ſibi dediſſe Bacchinium impudenter ſane dictitabat. Habebat etiam Bacchinius aliorum doctorum hominum praeſidium, quod opponeret Dupinii auctoritati, & maximi quidem momenti ac ponderis eſſe videbantur laudes, quas eidem operi impertivere Jo. Albertus Fabricius, & Actorum Lipſienſium, ut de noſtris ſileam, ſcriptores (1). Ex quo evenit ut tum multi eruditorum in diverſas abierint ſententias. Paullo poſt quam haec ediderat Bacchinius, imprimendas curavit ineditas epiſtolas & opuſcula quaedam Iſidori Clarii Epiſcopi Fulginatis, cui tamen operi ſuum nomen minime adſcribendum putavit; poſuit autem illud Mauri Piazzii Abatis Parmenſis, ut amicum, qui quondam ſibi afflicto & jacenti fidem & dextram porrexerat, gloriolae inſignibus ornaret. Eodem tempore multa alia excudebat, quae latebant in theſauris ſuis; ex quibus aliquid aegre deptompſit, ut concederet Joſepho Olgiato Epiſcopo Novocomenſi, cui nihil negare poſſe videbatur. Dolens Bacchinius impudentiam haere-

(1) Act. an. 1705. p. 334.

ticorum, qui ea, quae maxima ſunt in theologia, tractare auderent, cum ipſa neſcirent, aut perverſe didiciſſent, evellendam, ſi fieri potuiſſet, importunitatem ex intimis eorum mentibus ſuſcepit libro, qui confutaret, peſtiferas ſane, Jacobi Piceninii adverſus Romanam Eccleſiam lucubrationes. Ajebant enim auctorem hunc, cum amentatas haſtas a peritiſſimis ſuorum accepiſſet, tanta vi atque arte illas torquere, ut adverſariis de victoria omnino eſſet deſperandum. Multa profecto, & magna, & difficilia ſunt ea, quae ſunt theologo neceſſaria, qui dolos & fallacias haereticorum patefacere aggreditur, ſed abunde ſatisfactum a Bacchinio fuit toti huic diſputationi, ut qui ejus *epiſtolas polemicas* legerit (ſic enim liber inſcribitur) illum unum ex omnibus maxime fuiſſe aptum ad convincendos errores facile ſit judicaturus. Sed ut propius ad epiſtolarum argumenta accedamus, exponit Bacchinius in prima, quomodo haeretici de fidei controverſiis diſputare ſoleant, quod ad eorum malas artes noſcendas opportuniſſimum videbatur. Hinc exempli cauſa contorta & aculeata ſophiſma-

ta, fallaceſque concluſiunculas Piceninii in aperto ponit, ac ſatis declarat ſibi in animo eſſe omnes illius ſcrutari ſordes; & eidem ſuiſque excutere illam ſuperbam jactationem. Ab hoc quaſi aditu januaque patefacta reconditiores theologiae receſſus penetrat, deque ſacrarum litterarum ac Traditionum auctoritate ſic diſputat, ut qui has reſpuunt in definiendis Fidei controverſiis, ad veritatem caeci videantur; cum vero judicium de his omnibus controverſiis eſſe probet penes Eccleſiam, ſigna & notas oſtendit, quibus vera a falſa queat internoſci. Hinc mira doctrina & acumine ſolvit captioſa argumenta haereticorum ad divini judicis vim auctoritatemque declinandam. Poſtquam haec ſcripſerat, quae tribus continentur epiſtolis, moritur Piceninius, quare alium adverſarium refutandum ſuſcepit, qui Piceninium ipſum fama dignitateque aequare dicebatur. Binae, quas ad hunc dedit, epiſtolae ſpectant praeſertim ad *Primatum* Romanorum Pontificum, quem neceſſe fuiſſe a Petro in ejus ſucceſſores propagari certiſſimis argumentis probat. Multa alia hujuſmodi inchoaverat, quae e manibus

depoſuit non ad laborem (animus enim illius ſe exercendo levari videbatur) ſed ad moleſtias vitandas. Hactenus de Bacchinii editis ſcriptis. Plura ſunt inedita, quorum indicem ad calcem rejicimus. Profecto multo maiora ipſe vulgaſſet, ni ſemper illi fuiſſet quaedam fortuna fatalis, ut non tam gloriae, quam famae cauſſa dimicare debuerit. Romam venit an. MDCCV. ut defenderet ſuum de Agnello Ravennate opus adverſus conſorum calumnias; & ni palam & acerrime pro eo pugnaſſent illa duo Cardinalium Collegii lumina Thomaſius & Ferrarius, & homines doctrinae laude excellentes Fontaninius & Paſſioneus illius imprimendi praeciſa eidem facultas fuiſſet (1). Deſeruit poſtea Fontaninius clientem ſuum (nemo enim illo proclivior erat non modo ad diſſuadendas, ſed

etiam

(1) Haec ad Magliabechium. *Il libro che le ho traſmeſſo è ſtato per me un gran tormento: la fatica in farlo, le ſpeſe, i viaggi, le contradizioni mi hanno diſingannato, e di quì avanti non penſo più di mettermi negli azzardi paſſati.* Epi. dat. VII. Id. Jun. 1709. *Per mio trattenimento ho fatte alcune riſleſſioni ſopra la controverſia fra' Padri Laderchi e Capaſſi, ma per l'eſperienza paſſata non penſo ſtamparle.*

etiam ad diſſecandas amicitias) quod plures dediſſe ſibi tanquam anſas ad reprehendendum diceret in iis, quas adverſus Piceninium ſcripſit epiſtolas. Fontaninii partes ſecutus eſt homo e Dominicana familia, & ut ex Bacchinii litteris conjici poteſt, uterque egiſſe graviter, auctoritate, & offenſione animi acerba videntur, ne in lucem hominum opus illud exiret. In oblatis criminationibus depellendis tantum tribuit Bacchinius adverſariis ſuis, quantum hominibus doctis, qui interdum praejudicatis opinionibus judicant, tribuere neceſſe eſt. Itaque cum ſe minime peccaſſe gauderet, plurimum etiam gloriari videbatur, quod ab aſſentatione quadam eſſet alienus, quae non poteſt non nocere iis, qui illam allectant atque invitant. Quod ſi in ſcena, in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modo id patefactum eſt atque illuſtratum, quid in rebus ad religionem pertinentibus fieri oporteret, quae totae veritate ſunt perpendendae? Eſt in manibus Bacchinii liber, ex quo quiſque facile judicare poterit quid ipſe ſenſerit de ampliſſima Romanorum Pontificum

poteſtate ac juribus. Quoniam mos ei erat, quoties ſententiam rogabatur, nec temere dicere, nec aſtute reticere, facile ab ipſo Magliabechius reſponſum tulit, quid de tota illa quaeſtione ſentiret, quae erat inter Laderchium, Moppium & Capaſſium de SS. Creſcii & Sociorum Martyrum actis. Ex hac inquiſitione crevit *Hypercriſis* quaedam, quae ad dirimendam controverſiam plurimum conducere potuiſſet. Sed obſtitit illius impreſſioni Coſmus III. Magnus Etruriae Dux, qui ſe libenter praebebat credulum Laderchii ſomniis, & verba ſibi dari in hujuſmodi rebus facile patiebatur. Quae idcirco referre libuit ut intelligatur ſtudium cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi, quod ceteris afferre ſolet requiem plenam oblectationis, cauſſam ſaepe fuiſſe Bacchinio moleſtiarum atque ſollicitudinum. Miraberis vero hominem totum occupatum in ſtudiis, quae admirabilem utilitatem reipublicae, & familiae, ſibique dignitatem parere debebant, cujuſque operam quotidie requirebat ipſa Ducis bibliotheca, coactum a ſuis fuiſſe procurationem rerum Monaſterii, in quo degebat, ſuſcipere. Cum igi-

tur ei fundus eſſet inſpiciendus, aut mandandum aliquid procuratori de agricoltura, aut imperandum villico, aut paranda ea, quae ad victum familiae eſſent neceſſaria, aegre diſtrahebatur a libris deliciis & amoribus ſuis. Sed quidvis perpeti malebat, quam conqueri de majorum iniquitate; itaque deliberavit bibliotheca ſe abdicare, ne quid de ſua opera Monaſterio detraheret. In maximo autem dolore hoc ſolatio utebatur, quod viam quodammodo ſterneret futurae gloriae Ludovici Muratorii, quem vel ab an. MDCC. ſibi ſucceſſorem in hoc honorificentiſſimo munere deſtinaſse videbatur. Litterarii quoque conventus, qui apud ſe celebrabantur, eadem de cauſsa fieri deſierunt, quamvis ejus cubiculum quaſi ludus quidam & officina multarum diſciplinarum patuerit ſemper induſtriis adoleſcentibus. *Hic tu oſtendas oportet patriae lumen ingenii conſiliique tui* (ita aliquando Rainaldus Dux allocutus eſt ipſum Bacchinium Bononiam cogitantem, a cujus civitatis Senatu anno MDCXCII. declaratus fuerat ſacrarum litterarum magiſter) *& conſulas litterarum dignitati, quam perverſa inſtitutione plurimum im-*

minutam dolemus. Tum Bacchinius condidit *Manuductionem* quamdam *ad philologiam Eccleſiaſticam*, quae quamvis typis minime impreſſa fuerit, plura tamen ejus extant exemplaria, quae uſui eſse potuere verae gloriae cupidis adoleſcentibus, quanquam innumerabiles fere de his rebus ſint libri neque abditi, neque obſcuri. Sed ut plerumque mutabiles ſunt potentiorum voluntates, Rainaldus qui antea mirum in modum favere ſtudiis dignitati, ac gloriae Bacchinii videbatur, alienati ei animi ſigna dedit, cujus rei haec una potuit reperiri cauſsa, quod Bacchinius ipſe eo tempore, qu[illegible] Abas rexit (& hac quidem dignitate decoratus fuit anno MDCCVIII. in majoribus comitiis, quae Patavii habita fuere) Monaſteria Mutinenſe & Regienſe, multis in rebus ſe acerrimum defenſorem jurium ſuae familiae praeſtiterit. Tum Parmam cogitare coepit, ſed eo redeundi negata eidem fuit poteſtas, quod illius civitatis Dux ipſum auctorem fuiſse ſuſpicabatur cujuſdam operis, in quo erat refutatio fabularum quarumdam de origine & antiquitate ordinis Coſtantiniani. Tum ad gubernaculum Monaſterii Bobbienſis

acceſſit, ex quo cum diſceſſiſset valetudinis cauſsa (aer enim craſsus & humidus offunditur loco illi) ad ipſum amplius redire non potuit, quod Sardiniae Rex, cujus imperio ſubiicitur, alienigenas ab hujuſmodi gubernaculis removendos exiſtimaverit. His caſibus non potuit non commoveri Bacchinius; nec fuiſset id humanitatis illius. Sed non egebat medicina; ſe ipſum conſolabatur, & maxime illo ſolatio, quod ſtudia praebere ſolent. Itaque quamvis aeger Patavii diu fuerit, ita diſtinebatur continua doctorum virorum conſuetudine, cura ordinandi tabularium Monaſterii ad S. Juſtinae, multiſque oſtendendi antiquitatis iter, ut nunquam minus otioſus fuiſse videretur. Cum conſiliis Valliſnerii, in quo acquieſcebat, plurimum levatus fuiſset, ut Deus aliquis Medicinam ſibi feciſse videretur, Ferrariam venit, mox Bononiam ad exercendum Doctoris munus, quod magna cum prece ab eo petierant Bononienſes, plurimum etiam aucto ſtipendio, quod initio ei fuerat decretum. Sed illa incommoda valetudinis, quae conſanuiſse videbantur, recruduerunt (1) &

(1) In epiſtola quadam ad Jo. Baptiſtam Recanatum

cum animus ejus ſe collegiſset, tum agnovit nil niſi de morte ſibi cogitandum eſse. Cui cenſemus curſum ad Deum faciliorem fuiſse, quam homini, qui cum continuis jactatus fuiſset fluctibus, gravitatem ſuam perpetua coſtantia aequabilitateque roboravit, qui honores & vel ampliſſimos oblatos a Rom. Pont. recuſavit, & qui omnes actiones ſuas ſic moderabatur, ut quidquid in eo perſpectum ſit, hoc dignum ſpectatu arbitremur? Utinam plures Bacchinii ſimiles haberemus, in quibus mirus omnium doctrinarum atque virtutum quaſi concentus atque conſenſus eſſet, & ex quibus ceteri exemplum, nos uberem ſcribendi laudandique materiem capere poſsemus. Obiit vir immortalitate digniſſimus Kal. Septembris an. MDCCXXI. & in Bononienſi templo, quod S. Proculi dicitur, ſepulcri monumento donatus.

dat. Kal. Sext. an. MDCCXXI. ait. *Sarà un meſe in circa che io paſſai da Ferrara quà per fiſſarvi la mia dimora, ſervendo queſta Univerſità nella cattedra di ſacra ſcrittura. In queſto tempo però ſono ſempre ſtato ammalato; e benchè ora mi trovi con qualche miglioramento, lo ſono tuttavia.*

OPERA EDITA.

Oratione Epicedia per Madama Sereniſſima Margherita Medici Farneſe nel ſolenne funerale celebrato in S. Siſto di Piacenza compoſta e detta da D. Benedetto Bacchini Caſinenſe. *Piacenza* 1679.

Le cagioni e gli effetti dell' unione di S. Nicola di Tolentino con Dio. In Pavia 1682.

Giornale de' Letterati. Tom. IX. *Sex priores editi ſunt Parmae, reliqui tres Mutinae; omnes vero in* 4.

Helenae Lucretiae, quae & Scholaſtica, Corneliae Piſcopiae Virginis pietate & eruditione admirabilis Ordini D. Benedicti privatis votis adſcriptae opera quae quidem haberi potuerunt &c. Parmae typis Hippolyti Roſat. 1688. In 8.

Saggi d' Anatomia, ne' quali chiaramente ſi ſpiega la ſtruttura degli organi del corpo animato, e le loro operazioni meccaniche ſecondo le ipoteſi nuove di N. Dottore di medicina tradotto dal Franceſe nella lingua Italiana dagli Autori del Giornale di Parma. Parma 1688. *Venetiis quoque & Parmae ſaepius utiliſſimum opus recuſum; cujus interpretationem fecit Bacchinius invitante Roberto Carmelita.*

Diſſertatio in numiſmata Scipionis Africani. *Extat in Vol. III. Ephemerid. Parmenſium. Inſcribitur Magliabechio, cujus laudandi nominandique nullam praetermittebat occaſionem Bacchinius, qua de re a nonnullis reprehenſus eſt.*

De ſiſtrorum figuris ac differentia ad Illuſtriſs. D. D. Leonem Strozza ob Siſtri Romani effigiem communicatam diſſertatio Auctore D. Benedicto Bacchinio Monacho S.

Benedicti apud Divum Jo. Evangeliſtam S. Officii Conſultore, ac Sereniſſimi Raynucii II. Parmae Placentiae ec. Ducis Theologo. Bononiae 1691. ex typographia Piſartiana in 4. *Recuſa una cum diſſertatiuncula ac notis Jacobi Tollii Trajecti ad Rhenum 1696. ac demum in* Vol. VIII. Theſauri antiquitatum Romanarum pag. 407.

Anonymi Dialogi tres. I. De Conſtantia in adverſis. II. De dignitate tuenda. III. De amore erga Rempublicam: Mutinae 1692. typis haeredum Caſſiani in 12. *iterum Parmae typis Joſephi Roſati 1728. in 12. A Jacobo Cantellio Ducis Mutinenſium Geographo, inter quem & Bacchinium ſumma erat voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumque conſenſio, inſcribitur liber hic Marcello Malpighio tum S. P. Archiatro.*

Dell' Iſtoria del Monaſtero di S. Benedetto di Polirone nello ſtato di Mantova lib. V. All' Eminentiſs. Sig. Card. Celeſtino Sfondrati ec. Modena 1696. in 4.

De Eccleſiaſticae Hierarchiae originibus Diſſertatio Mutinae an. 1703. typis Antonii Capponi in 4.

Iſidori Clarii ex Monacho Epiſcopi Fulginatis Epiſtolae ad amicos hactenus ineditae ex autographo deſcriptae ec. una cum aliis duobus ejuſdem Iſidori opuſculis alias ſeorſim editis, ideſt: de modo divitiis adhibendo, & ad eos, qui a communiori Eccleſiae ſententia diſceſſere, adhortatio ad concordiam. Mutinae an. 1705.

Agnelli, qui & Andreas Abbatis S. Mariae ad Blanchernas, & S. Bartholomaei Ravennatis liber Pontificalis, ſive vitae Pontificum Ravennatum, quas Bened. Bacchinius Abbas S. Mariae de Lacroma Ord. S. Bened. Cong. Caſin. ex bibliotheca Eſtenſi eruit, diſſertationibus & obſervatio-

tibus, nec non appendice monumentorum illuſtravit & auxit: Mutinae 1708. typis Antonii Capponi T. II. in 4. & iterum Mediolani 1723. in fol.

Epiſtola de actis SS. Creſcii & Sociorum Martyrum *Scripta an.* 1710. *ad Eumenem Parthenium, ſub quo nomine latere putatur Virginius Valſechius collega & amicus Bacchinii*.

Cum edidiſſet Bacchinius Benedicti Accolti Aretini opus de praeſtantia virorum ſui aevi, *quaedam eidem addidit de ſuo. Editor etiam fuit quorumdam ſcriptorum Aproſii, idque hortante Magliabechio*. Patavii in Archivio S. Juſtinae. *Extat in vol. III. collectionis Calogerianae*.

Lettere Polemiche contro il Sig. Giacomo Picenino miniſtro in foglio opera poſtuma del R. P. D. Benedetto Bacchini Abate Caſinenſe con le cenſure alle medeſime, e le oſſervazioni ſu di eſſe dello ſteſſo Autore ec. in Altorf 1738. Tom. II. in 4. *Opus Mediolani typis impreſſum fuit cura Sixti Rocci Abatis Caſinenſis, qui honoribus & doctrinae gloria apud ſuos floruit, quique omnia ſtudia & officia Bacchinio ſe debere profitebatur. Quoniam ſingulari ipſe fuit diligentia in recenſendis ineditis Bacchinii ipſius ſcriptis, ne actum agamus, quod vetamur veteri proverbio, ejus verba exſcribemus*.

OPERA INEDITA.

Manuductio ad philologiam Eccleſiaſticam. tom. 2. in fol. in qua praemittuntur neceſſaria ad Chronologiam, inde ſingulis annis Aerae Chriſtianae, Chriſis philologicae exer-

ſtii cauſa adhibetur, per tria priora Saecula. Utebatur Auctor hac Manuductione ad inſtituendos Eccleſiaſticae Philologiae Candidatos, apud quos ejuſdem Manuductionis plura exemplaria inveniuntur.

Diſſertatio de Motionibus Mercurii in Barometro, in qua cauſſa aſcenſus, & deſcenſus Mercurii in fiſtula phiſice explicatur, reddita ejus rei ratione, & de aeris pondere ad tempeſtatum mutationem, diſputatur.

Ad nodum praedeſtinationis Cardinalis Sfondrati diſſertatio ſub nomine *Barachiae Scutenſis*, ideſt *Benedicti Parmenſis*, in qua oſtenditur, quae minus Theologica in eo opere videntur, tentamina potius imperfecta, & adverſaria ejus eruditiſſimi viri eſſe, eaque temere nimis ab aliis edita, multis adjectis, multis deletis, & imputatis, ipſo prae aegritudine, qua extinctus eſt, ante finitam editionem, vix de ea re cogitante. Plura ideirco in eo opere eſſe, quae contradictiones efficiunt, alia imperfecta relicta, nonnulla repetita, quae quidem non admiſiſſet Vir tantus, ſi prae valetudine licuiſſet, ideoque rite non poſſe opus illud Eminentiſſimo Sfondrato tribui.

Hypercriſis ad Criſim P. Magiſtri Ghetardi Capaſſii, & *Anticriſim Patroni Laderchiani* ſuper Acta Sanctorum Creſcii, & Sociorum MM, in qua abſque ſtudio partium, quid uterque rite, quid ſecus dicat perpenditur, & perſtringitur abuſus, qui nimium invaluit, quo in litterariis & maxime ſacris quaeſtionibus res agitur inter doctos Catholicos conviciis, ſarcaſmatibus, & calumniis, ut a Summo Pontifice remedium opportunum imploretur pro publica Catholicorum Scriptorum dignitate. In fine referuntur Acta ipſa cum notulis, 1709. Hanc etiam Bac-

chinii lucubrat. referunt, & laudant iidem Auctores Eph. Venet. tom. 3. p. 191. & pag. 221. uſque ad 251. tamquam inſignem, ac luce digniſſimam, cum in ea Bacchinius non minus doctrinam, quam aequitatem, ac modeſtiam, ut ei ſempèr in more fuit, oſtendat.

De Viis antiquorum Romanorum per Italiam, quod tamen opus cum Bacchinius primaeva aetate ſcribere coepiſſet, aliis poſtea operibus intentus minime abſolvit.

Epiſtola ſub nomine *Eleutherii Ilicrini a S. Irene*, ad Illuſtriſſimum D. N. contra librum Patris Germonii de Haereticis veterum MSS. corruptoribus pro D. Petro Couſtant Monaco Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri. Auctores Ephem. Venet. Literat. Ital. tom. 35. p. 371. *Il Sig. Marcheſe Maffei aveva donato all'Amico Bacchini il libro del P. Germon, e queſti ne ſcriſſe queſt' Opera, ampiamente, e dottamente confutandolo; ma veduta la riſpoſta del P. Couſtant, ne ſoſpeſe la pubblicazione, e mandolla al ſuddetto Sig. Marcheſe che la fe paſſare in Francia, e n' ebbe l' approvazione sì dallo ſteſſo P. Couſtant, che d' altri Letterati di Parigi, e credeſi, che ancora ella ſia in Francia.*

Obſervationes in Regulam S. P. Benedicti; & in Conſtitutiones Congregationis Caſinenſis, eſt liber in fol.

Ad Cenſuras, ob quas Romae non fuerunt approbatae litterae quinque contra Picciniunm Calviniſtam ſcriptae, Obſervationes.

De propoſitionum, & Doctrinarum Dogmaticarum qualificationibus, & recta qualificandi ratione, partes tres: Prima generalia argumenti principia explicat. *Secunda*, ſingulas quaſque Concilii Conſtantienſ. in Wicleffi, & Hus

articulos cenſuras, & quaſdam a recentioribus adjunctas regulas excutit. *Tertia*, quibus ſubſidiis Qualificatorem munitum eſſe oporteat, exponit.

Has praeterea Bacchinii MSS. lucubrationes referunt & expendunt praelaudati Auctores Ephem. Venet. Literat. Ital. ſaepe allegato tom. 25. artic. XIV. pag. 269. & ſeq. quas ipſis eorumdem verbis hic tranſcribimus.

Scrittura ſopra la Genealogia della Sereniſſima caſa Farneſe deſcritta dall' Abate Teodoro di Amaydeno. Demadeno al num. 12. (tom. XXXIV. pag. 308. Della ſua vita narranſi i motivi di formare queſta Scrittura, dove anche l' Autore afferma di averne ſerbato copia appreſſo di ſe; altronde però intendiamo, che l' originale conſervaſi appreſſo il Sereniſſimo di Parma. Per altro certiſſimo egli è, che l' Amaydeno in quelle ſue Iſtorie genealogiche afferma coſe, che non hanno, nè aver poſſono fondamento veruno nè ſu racconti d' Iſtorici accreditati, nè ſu antichi documenti.

Victorii Presbyteri Antiocheni Interpretatio in Evangelium Marci e Graeco in Latinum ſermonem translata.

Diario del Viaggio a Monte Caſino: di queſte tre Opere dal Sig. Muratori ce n' è ſtata comunicata la notizia.

Scritture due in riſpoſta ad altre del P. Wolff Geſuita ſopra affari politici allor vertenti, a richieſta del Sereniſſimo di Modena, appreſſo il quale anche ſi conſervano.

Altra dotta e lunga Scrittura a difeſa di un Principe d' Italia, a cui era conteſo il poſſeſſo di Feudo nobiliſſimo e riguardevole: paſsò ſotto il nome d' un gran Miniſtro, ora defonto, e ottenne il ſuo intento.

Tom. II. dell' Iſtoria del Monaſtero di S. Benedetto

Digitized by Google

di' Polirone. L' Autore ſteſſo l' accenna al num. XVII. della ſua vita (tom. XXXIV. pag. 312.) come anche produce i motivi del non averlo dato alle ſtampe dopo il primo.

Annotazioni ſopra l' Italia Sacra dell' Ughello. Eſſendo queſte ſcritte in varj fogli, quà e là diſperſi, non ſi sà come con gran rincreſcimento del loro Autore, e danno della Letteraria Repubblica, ſi ſmarrirono.

Oſſervazioni in propoſito della Giuriſprudenza de' Secoli baſſi, cavate dall' attenta lezione degli antichi Documenti, de' quali era il Bacchini avido ricercatore, anche queſte ſi perdettero con grave ſuo ſpiacere.

Trattato della ſincerità, e falſità de' Diplomi. Queſto trattato è latinamente ſcritto, ed è indiritto al prelodato Sig. Marcheſe Maffei, che ſerbalo, come coſa ſingolare, e di cui non v' ha forſe altra copia, e come memoria cariſſima dell' Amico defonto.

Laſciò finalmente il P. Abate Bacchini molte Diſſertazioni, e Diplomi, ed Atti, che traſcriſſe da varj Archivj ... ed alcune raccolte di Documenti ſpettanti all' Iſtoria Monaſtica .... e di queſti prezioſi teſori, egli n' era liberaliſſimo a' ſtudioſi, ed amici, molti de' quali ne hanno fatto un aſſai buon uſo, ma non tutti l' han cortiſpoſto colla dovuta gratitudine, mentre neppur lo nominano, dove, e come dovrebbero per giuſtizia. Queſti Documenti con molti ſuoi ſcritti dopo la ſua morte portati a Roma ſono ſtati ripoſti tra le coſe di molto prezzo nella Biblioteca Vaticana. Ita illi: ſed haec Bacchinii documenta, & lucubrationes, non utique omnia in Vaticana Bibliotheca, ſed magna ex parte alibi nunc reperiuntur.

Inter ea autem, quae in lucem emittere cogitaverat

Bacchinius, ſed poſtea aliis emittenda conceſſit, ſunt duo haec egregia Opera:

Opus Hiſtorico-Dogmaticum contra Hiſtoriam Eccleſiaſticam Baſnagii.

Opus Dogmaticum contra nonnullos ſui temporis Novatores.

Reliquit praeterea Bacchinius ſequentia opera MSS.

Quaeſtiones Politico-Morales.

Scriptum triplex, Italica lingua, quo demonſtratur, Italiae Principes non potuiſſe, ſalva conſcientia, contributionibus, multoque minus debuiſſe tot, tantiſque, ab Imperatore, neve a Principum Germaniae Conventu anno 1692. gravari ad Caeſareum Exercitum in Hibernis alendum; eſt in fol. pag. integr. 20.

In Epiſtolas Divi Hyeronimi notas. Sunt notae admodum eruditae, & ut plurimum hiſtoricae in omnes Epiſtolas primi tomi, quae ſunt num. 49. ſecundum Mariani Victorini collectionem: & in 4. alias ſecundi tomi, quarum ultima eſt ad *Reperium*, ſed imperfecta, quia aliquot hujuſce lucubrationis paginae perierunt: ſuperſtites autem ſunt num. 32. in fol. parvo: breves quidem plerumque ſunt notae iſtae, utpote a Bacchinio tunc juvene exercitationis gratia compoſitae: ſed poſtea ampliſſimum, itemque doctiſſimum Commentarium ſeorſim ſcripſit in Epiſtolam III. laudati primi tomi ad *Heliodorum*, quae eſt *Epitaphium Nepotiani*, & continetur paginis integris num. 16. in fol. magno: ſed nec iſta Commentatio eſt abſoluta, pervenit enim tantum ad illa Hyeronimi verba: *Hoc idem poſſumus, & de iſto dicere, qui Baſilicas &c.*

Series Conſulum, Pontificum, & Imperatorum, ad ve-

ram Eccleſiaſticam Chronologiam, *cum nonnullis notis hiſtoricis*, *uſque ad annum* 1198. *quo Baronius Annales perduxit*; eſt opus pag. integr. num. 50. Haec tria Bacchinii MSS. ipſiuſque calamo exarata, ſunt apud me ex dono D. Hyppoliti Pugnetti, primi ejuſdem Bacchinii, ex Monachis, diſcipuli, cui ille olim dono dederat, omni auro cunctiſque gemmis praetioſiora.

Digitized by Google

FRANCISCO RAYMUNDO ADAMIO

Servorum Beatae Mariae Virginis
Praepoſito Generali

ANGELUS FABRONIUS.

S. P. D.

Quod tibi per amicum noſtrum Philippum Tozzium receperam, in eo nunc fidem libero. Habes enim cum his litteris vitam Gerardi Capaſſii Sodalis & Praeceptoris tui, in qua contexenda eo libentius elaboravi, quod arbitratus ſum viri ingenio & doctrina ſummi laudem fere ſeneſcentem ab oblivione hominum atque ſilentio eſſe vindicandam. Cum enim non multum (quod quidem extet) ſcripti reliquerit, ex quo cognoſci poſſit, quantus vir ille fuerit, vix ad ea, quae quondam de ipſius doctrina omnium ſermone & fama celebrabantur, recordanda relictus eſſe locus videretur, niſi hiſtoriae monumentis illa eſſent cognita. Refugit autem Capaſſius a prodeundo in publicum ſive judicio, ut ſolebat dicere, ſive modeſtia & quadam ingenua timiditate, ſive neceſſitate, quod,

ejus

ejus vita perpetuis fluctibus objecta, non ſatis otii tranquillitatiſque magnis conficiendis operibus ſuppeditare potuerit. Praeter quam quod in ea erat ſententia, magnam, qua nunc premimur, librorum copiam officere potius quam prodeſſe litteris, quod homines a ſapientiae fontibus avocet; & audacter, impudenterque eos facere, qui in hac infinita librorum cujuſcumque generis abundantia aliquid in publico proponunt, quod minime ſit in ſuo genere perfectum, quodque novitate ſua utilitateque ſingulari non valeat doctrinarum amatores ad legendum allicere. Ridebat vero (& merito quidem ridebat) homines quoſdam, qui toti ſunt in magnis contexendis voluminibus ſine rerum delectu, ſine ordine, & ſine prudenti judicio; & qui gloriantes alienis ſurreptis bonis per illa ſe doctorum choro immiſcere poſſe confidunt. Hujus generis hominibus, quibus peſſimo litterarum fato omnis aetas abundavit, ſolitus erat Capaſſius objicere Callimachi Grammatici ſententiam, qui magnum librum magno malo eſſe parem dicebat (1) *Aeſopicamque de graculo ſuperbo fabellam narrare. At nemo fortaſſe illi*

(1) Athenaei Epit. l. 3. in princ.

majorem ad irridendum materiem dedit quam Nicolaus Mortierius, *de cujus opere quod inſcribitur*: Etymologiae Sacrae Graeco--Latinae, *Capaſſius ſuum judicium expoſuit in* XIII. *volumine Ephemeridum Litteratorum Italiae. Quam acute, quam ſalſe, quam* εἰρωνικῶς *illius ſcriptoris confidentiam inſulſitatemque perſtringit! Optandum ſane eſſet, ut multos cenſores Capaſſii ſimiles haberemus. At qui nunc ſe magnifice jactant, atque oſtentant tanquam Deos averuncos malorum & inutilium librorum, nil aliud agere videntur, niſi ut plurimos teſtes colligant miſerabilis inſcitiae ſuae. Adeone doctiſſimi viri ſummis laboribus atque vigiliis artem Criticam excoluerunt, ut illam ſibi arrogent homines ab omnibus diſciplinis imparati, ſine ſenſu, ſine ſapore, ſine linguarum notitia, ut apud nos idem mirari liceat, quod apud Graecos mirari ſe Anacharſis* (1) *ajebat*, artifices certant, judicant vero qui minime ſunt artifices. *Annus & amplius eſt cum hujuſmodi cenſores ſevere me reprehenderunt, quod aliquando ſcribam ea, quae alii. Hi profecto veteres accuſationes renovabunt*

(1) Laert. lib. I. in Anacharſi.

(non enim lege Aemilia vetantur ultra ſex menſes & annum cenſoriam poteſtatem prorogare) quando intelligent me in Capaſſii vita declaranda elaboraſſe , poſtquam Lamius id ipſum praeſtitit in vol. I. Memorabilium Italorum eruditione praeſtantium . *Quid , quaeſo , hoc reprehenſionis eſt? Scripſit Polybius quae Romani ſua majorumque memoria , Livius quae ille , Dionyſius Halicarnaſſeus quae Livius , & ſic conſequentium hiſtoricorum plerique . Cornelius quoque Nepos , ut ipſe faſſus eſt , nihil aliud egit , niſi ut uno volumine vitas excellentium virorum complurium concluderet , quas ſeparatim multis millibus verſuum complures ſcriptores ante eum explicarunt . Ceterum quod ad Lamium pertinet , plurimi ſane facio quidquid ex ejus officina prodiit ; nihilo tamen minus videor poſſe in eo gloriari , me in ſcribenda vita Capaſſii minime actum ab illo egiſſe ut pote qui aliud ſcribendi genus ſim ſecutus , nova multa protulerim , nonnulla mutaverim emendaverimque ; & , ut uno verbo omnia complectar , totum aliud opus effecerim . Quibus vero ex fontibus , & quam puris liquidiſque hujuſce materiem hauſerim tute ipſe probe noſti , Vir praeſtantiſſime , tuque inſignis ceteros inter teſtis eſſe po-*

teris, quam injuſte Lamius arguerit Capaſſium fuiſſe ad aſſentationem, voluptatemque proclivio-rem, niſi dicere velimus feciſſe Lamium, quod Zopyrus, qui cum multa, ut ait Cicero (1) *in conventu vitia collegiſſet in Socratem, quae ex ejus forma ſe perſpicere profitebatur, deriſus eſt a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoſce-rent; ab ipſo autem Socrate ſublevatus eſt, cum illa ſibi vitia ineſſe, ſed ratione a ſe dejecta di-ceret. Vale.*

Piſis Kal. Januarii MDCCLXXIII.

(1) In fin. lib. IV. Tuſcul. Quaeſt.

GERARDUS CAPASSIUS

GErardus Capaſſius natus eſt Florentiae XI. Kal. Februarias anno MDCLIII. Huic contigit ut eos parentes haberet Bernardum Capaſſium, & Catharinam Zuccagniam, qui quamvis fortunae bonis minime pollerent, fuerunt tamen diligentiſſimi, ut filio in virtute, doctrina, humanitateque percipienda plurimum vel a pueritia ſtudii eſſet, & temporis. Inter bonas artes praeclarum ingenium brevi adolevit. Ex quo factum eſt ut cum ille ineunte anno MDCLXIX. nomen dederit in ſodalitatem Servorum B. M. V. non poſt multo electus fuerit ad tradendam ſuis Philoſophiam; quod ipſum munus, fama jam excellentis Peripatetici ſibi comparata, Senis quoque ſuſtinere debuit. Magnus & clarus antea Gerardus, major & clarior haberi coepit poſtquam demandatum eſt illi magiſterium Theologiae, in qua facultate quantum valeret, tum praeſertim oſtenderat, cum theologicas theſes (dedicavit has Ludovico XIV. Galliarum Regi) in generalibus Ordinis ſui

Comitiis publice Romae propugnaverat. Cumque ejus fama egreſſa jam domeſtica clauſtra ad aures uſque Coſmi III. Magni Etruriae Ducis perveniſſet, facile ab hoc impetravit, ut vices gereret collegae ſui Petri Antonii Roſſii in munere Theologiae Doctoris, quod ſuſtinebat in Academia Piſana, & a quo illum abſtraxit demandata ipſi totius Familiae procuratio. Profuit quidem Capaſſio commoratio Piſana. Nam ſummorum virorum, inter quos quotidie verſabatur, auctoritate & exemplo ſejunxit ſe a Peripateticis, cum quibus temporum potius vinculis, quam ſuo judicio ſe conjunctum eſſe dicebat; & in optimo Philoſophiae genere cognoſcendo, maximeque in profana & ſacra eruditione ex fontibus haurienda, cum antea ſibi ſubſidia comparaſſet linguarum Hebraicae, Graecae, & Gallicae, omne ſuum ſtudium collocavit. Huic Piſis commoranti commendare ſolitus fuit Antonius Magliabechius exteros homines doctrina illuſtres, qui illuc viſendae urbis gratia concederent; cujus rei praeclara ſunt teſtimonia, quae de ſe ipſo

ſcripſit Mabillonius in ſuo Muſaeo Italico (1). Poſtquam Capaſſius quadriennium operam ſuam vicariam in Academia Piſana praeſtitit, rediit anno MDCLXXXVII. ad domeſticam ſcholam, quam praeſtantiſſimis artibus, quibus ſe inſtruxerat, ſuſcepit exornare. Sed dum eas in publicum proferre voluit, iniquitate magis temporum; quae omnem averſabantur novitatem; quam ſua culpa in maximas moleſtias, turbulentiſſimaſque tempeſtates incidit. Eſt hoc in more poſitum, ut qui in Florentino Coenobio Servorum B. M. V. Theologiam docet quotannis per diſcipulum publice defendendas proponat Theologicas theſes. Propoſuit autem Gerardus, ediditque approbantibus iis, quorum munus eſt providere nequid ex malis libris Chriſtiana Reſpublica detrimenti capiat, non theſes modo theologicas, ſed & hiſtoricas, criticas, atque philoſophicas. In quibus defendendis homo peracutus non quaeſivit rationes eas, quae ex conjectura pendent, & quae huc & illuc trahuntur, ſed quae perſuadendi ne-

(1) Tom. I. pag. 185.

ceſſitatem habere videbantur. Et quidem magna fuit admiratione animique perturbatione commotus, poſtquam intellexit ab Antonino Clochio Dominicanae Familiae Magiſtro quatuor illarum theſium, quas infra exſcribemus (1) accuſatas fuiſſe erroris apud

(1) *I. Auxilium a Theologis lumen Gloriae appellatum nequaquam aliquid a Deo diſtinctum eſt, ſed Deus ipſe.*

II. Symbolum quod ſub nomine Athanaſii circumfertur, an vere Athanaſii ſit, nedum dubitamus, verum & negativam partem ut probabiliorem amplectimur.

III. Cum omnium & ſingulorum Sacramentorum materiae & formae nequaquam fuerint a Chriſto Domino determinate inſtitutae, penes Eccleſiam eas determinandi ac immutandi auctoritatem eſſe cenſemus.

IV. Cum fere omnes Eccleſiae Patres uſque ad Chriſti ſaeculum XII. nullam accidentium phyſicorum, ſed ſpecierum duntaxat in Euchariſtia mentionem faciant; imo cum Aug. l. 2. *Solidoq.* c. 12. *habeat:* cui poſſe fieri videatur, ut id quod in ſubjecto eſt, maneat ipſo pereunte ſubjecto? Monſtruoſum enim & a veritate alieniſſimum eſt, ut id quod non eſſet, niſi in ipſo eſſet, etiam cum ipſum non fuerit, poſſit eſſe. *Quae verba licet laudatus Pater nequaquam de Euchariſtia determinate ediſſerens fuerit locutus, tamen ſui temporis mentem ſatis oſtendunt. Quare melius hoc myſterium altiſſimum Euchariſtiae juxta SS. PP. placita abſque accidentibus a Peripateticis. Scholis explicatis defendendum ſuſcipimus: imo ſtante divina tranſubſtantiatione, ac ſpecierum panis, &*

Romanos de Religione Quaeſitores, auxitque dolorem horum damnatorium judicium, & quae inde ſibi proponebantur minae atque terrores. Ad hos propulſandos (neque ſane in tanta re erat reticendum, ne quis ſilentium in conſcientiam duceret) docte & copioſe cauſſae ſuae defenſionem ſcripſit, quam cum ſuis ponderibus, ſeveris illis quidem, Quaeſitores examinaſſent, rationum & veritatis vi illos convictos fuiſſe oportet, quoniam ſine poena, & ſine objurgatione ulla Capaſſium judicio liberarunt. Neque eſt reticendum Antoninum Clochium poſtquam rationum momenta perpendit, quibus Capaſſius theſes ſuas defendebat, accuſatoris perſonam depoſuiſſe, ut caperet deprecatoris. At quanquam ea fuerit cauſſa Capaſſii, ut aequorum hominum judicio de fama doctrinae, dignitate, honeſtateque illius quidpiam minime derogaverit, tanta tamen fuit inimicorum ejuſdem perfidia, ut nunquam veteres accuſationes prorſus deferbuiſſe viderentur. Quas

vini in Sacramento permanentia, haereticorum cavillationes contra hoc myſterium a ratione deductae Platonicis magis, quam Peripateticis principiis facilius enervantur.

dolens pro ſua ſingulari in Capaſſium benevolentia & aequitatis amore Proſper Cardinalis Lambertinius ajebat, illum parum cautum providumque fuiſſe in defendendis iis rebus, quae Italiae illis temporibus inauditae erant, & quae triginta annis ſerius non ſolum ſine periculo, ſed etiam cum aliqua laude defendi potuiſſent. Nihilo tamen minus, quod mireris, nunquam ex albo damnatorum librorum eraſus fuit Capaſſii libellus, qui ſupra relatas theſes continet, quique ita inſcribitur = *Concluſiones ex Theologia, ac Philoſophia ſelectae pro ſolemniis D. Dominici propugnandae a F. Henrico Ant. Verzelli Servita in Conventu SS. Annuntiatae de Florentia praeſide D. M. Gerardo Capaſſii Florentino in eodem Coenobio Studii Regente, Florentiae* 1687. Sed, ut diximus, haec omnia acciderunt ſine ulla imminutione famae exiſtimationiſque Capaſſii; & quamvis Lycei luce per id temporis caruerit, intra parietes tamen aluit eam gloriam, quam meo judicio perpauci ſunt poſtea conſecuti. Ut autem ille magno ingenio ſuo, magnoque optimarum artium ſtudio ſcholae dignitatem ſuſtinuit, ita

prudentia dexteritate & conſilio res familiae bene & utiliter geſſit. Factus an. MDCXC. ſcriba Magiſtri Generalis Jo. Franciſci Poggii cum eo Coenobia non Italiae ſolum, ſed & Germaniae luſtravit. Datus & vicarius ejuſdem Magiſtri Generalis nonnullis Provinciis fuit. Etruſcam rexit, Florentinum Coenobium biennio gubernavit, & in eodem Coenobio curam tyronum ſuſtinuit. Tantam de Capaſſio opinionem imbiberant animo Germani Coenobitae, ut cum vellent familiae inſtituta & leges, quae in Italia vigebant, ad ſuas rationes & mores accommodare, illum potiſſimum expetierint, atque depopoſcerint, qui hanc rem praeſtaret. Illorum poſtulationi ſatisfecit Jo. Petrus Bertazzolius; qui tum clavum familiae tenebat, & in Capaſſio tanta prudentia fuit in conſtituendis, temperandiſque rebus, tantaque aequitas, ut hodie etiam ſtent Germanica Coenobia Capaſſii inſtitutis ſervandis. Paullo ante quam is in Germaniam proficiſceretur, coeperat jam acerrima pugna, quae inter ipſum & Jacobum Laderchium Congregationis Romani Oratorii, ut vocant, Presbyterum fuit, cujuſ-

que cauſſam ab ultima origine nobis explicandam putamus. Gratiae magis quam veritatis amans Laderchius ſcripto ſuſceperat conciliare auctoritatem & fidem commentitiis, quae habemus, actis SS. Martyrum Creſcii & ſociorum. Nam Coſmus III. Magnus Etruriae Dux praecipuo cultu illos venerabatur, quem in aliis quoque ſtudens excitare eorundem Sanctorum Aedem in Mucellano agro refecerat, atque exornaverat. Nihil erat ſane quod Laderchius, qui verum invenire nolebat, ſententiam Capaſſii de iiſdem actis requireret. Requiſivit tamen cum Florentiae eſſet autumno ann. MDCCVI. credo ut cognitam praeter deſiderium ſuum (& ſane Capaſſius candide pro ſua conſuetudine reſpondit plurimas falſi notas in iiſdem actis ſe videre) malibus artibus, ſi fieri potuiſſet, infringeret atque labefactaret. Relatum interea ad Capaſſium fuit injurioſos de ſe rumores ſparſos a Laderchio fuiſſe, quod ſcilicet omnia SS. Martyrum acta rejiceret atque contemneret. Id poſtquam reſciit excanduit ira, graviterque cum amiciſſimo ſuo Laurentio Magalottio homine in rebus judican-

Digitized by Google

dis ſpectato & cognito queſtus eſt, Laderchium violare exiſtimationem ſuam, cauſſamque inimicitiarum quaerere. At juſtam Capaſſii offenſionem non parum mitigarunt Magalottii conſilia, & Laderchii ab Etruria diſceſſus, qui omnem hac de re ſermunculum aut ſedavit, aut plane reſtinxit. Brevi tamen & acerbius refricatum eſt vulnus, cum ex litteris a Juſto Fontaninio ad Antonium Magliabechium datis Capaſſius intellexiſſet, Laderchium Romae in ſermonibus ea de ſe jactare, quae, ut falſa, ita prorſus ſibi erant indecora. Cetera inter affirmabat Laderchius ſe a Capaſſio incitatum fuiſſe ad accuſationem, oppugnationemque ſuſcipiendam operum Tillemontii, quam rem idem Capaſſius plenam inconſideratiſſimae ac dementiſſimae temeritatis ſemper judicaverat. Ita exacerbati erant utriuſque animi, cum anno MDCCVII. prodierunt in lucem *Acta Paſſionis SS. Creſcii & Sociorum Martyrum ex MMSS. Codd. Bibliothecae Mediceo-Laurentianae, Metropolitanae Eccleſiae Florentinae, & Sapientiae Romanae nunc primum edita, & a Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero aſſerta & illu-*

ſtrata. De quo libro quid ſentiret Capaſſius non dubitavit aperire Juſto Fontaninio, qui ſententiae & opinionis illius, ſua prius expoſita, particeps eſſe voluerat. Capaſſii epiſtola ſane longa ad Fontaninium, quae ut occultaretur ipſe petierat, neſcio quomodo in manus Laderchii perveniret. Edidit illam in vulgus, propterea quod ad ſingula, quae objecta fuerant, ſe reſpondere poſſe putabat. Scripſit itaque epiſtolam ad Equitem quemdam Florentinum, qua non tam ſeipſum defendere voluit, quam contumelioſiſſime Capaſſium provocare; utque liberius & triſtius ei, cui iratus erat, reſpondere poſſet, finxit eandem epiſtolam Petrum Donatum Polidorium exaraſſe. Hujus epiſtolae probra & errores ultus eſt Thomas Maria Minorellus doctus vir Dominicanae familiae, qui ſub nomine Joannis Storchii latere voluit: & Leander Porzia, qui commendatione doctrinae ad Cardinalatum poſtea pervenit, & prae ceteris Benedictus Bacchinius, cui neminem praefero cognitione ſacrae antiquitatis, affuerunt etiam Capaſſio ſcriptis ſuis, quae tamen lucem minime aſpexerunt. Sed qui fue-

rint Bacchinii ſenſus intelligi poteſt ex III. Volumine Ephemeridum Litteratorum Italiae, quo in libro tota hujus controverſiae hiſtoria, rerumque, quae occaſione ipſius ſcriptis mandatae ſunt, materies copioſe apteque explicantur. Poterat quidem Capaſſius his defenſoribus contentus eſſe. Sed is cui facile concaleſcebat ſtomachus, nec facile in inſolentium hominum indignitate mitigabatur, ſuis magis quam alienis armis adverſarii audaciam contundere, ſeque vindicare exiſtimationi hominum poſſe putavit. Itaque librum exaravit vulgavitque, qui inſcribitur *Nugae Laderchianae in epiſtola ad Equitem Florentinum*, in quo neſcias majorne ſit vis recti judicii & copia doctrinae, an argutiarum & ſalium. Et ſi certis quibuſdam finibus ſe continuiſſet (non enim ſemper acu, ſed etiam ictu gladiatoris ferit Laderchium) majores profecto laudes conſecutus fuiſſet a ſapientibus viris, quibus, ut ait Heſiodus (1) improbata ſemper fuit contentio illa, quae alienis gaudens malis animos in diverſa diſtrahit,

(1) In princip. Operae & diei.

& diſcordiam auget, quamque noctem obſcuram, adeo ipſam indignam homine putat, genuiſſe dicit. Liber hic magnam offenſionem excitavit in Coſmo III., qui non ſatis ſevere pro rei indignitate ſe decreviſſe ajebat, quod illum flammis damnaſſet. Ex qua ſumma Principis offenſione labes etiam aliqua dignitati Capaſſii aſperſa fuiſſet, ſi certo teſtimonio comprobari potuiſſet opus ab illo exiiſſe. Hoc enim Antonii Gatti nomen praeferebat. Nihilo tamen minus multas hujus rei cauſſa habuit Capaſſius moleſtias, neque fortaſſe S. Officii cenſoriam ſeveritatem, quod potiſſimum molitus fuerat Laderchius, declinaſſet, niſi in aequitate Clementis XI. & Cardinalis Petri Ottobonii, cui in primis idem Pontifex cauſſam hanc mandaverat, magnum praeſidium innocentiae ſuae reperiſſet. Nihil vero in tota hac controverſia mirabilius fuit Capaſſii firmitate, quam oſtendit praeſertim quando oblatis ſibi a Romanis Quaeſitoribus capitibus quibuſdam, in quibus omnis ſpes ſalutis poſita eſſe videbatur, ſubſcribere recuſavit. Id enim ſi feciſſet vix a ſeſe criminis ſuſpicionem propulſare

ſare poſſe intellexit. Sedatis paullulum fluctibus, calamum iterum in manus ſumpſit poenas repetiturus a Laderchio novarum injuriarum. Sed abjecit poſtea, quam magna ex parte confecerat, *II. Centuriam nugarum Laderchianarum*, ſequens illorum conſilium, qui tragoedias in nugis minime agendas eſſe dicebant. Plurimum etiam valuere ad mitigandum Capaſſii animum, quae ipſo Magno Duce approbante, de hiſtoria SS. Creſcii & Sociorum ſcripſit vulgavitque M. Antonius Mozzius Canonicus Florentinus. Quanquam enim a Capaſſio nonnullis in rebus diſſentiret, tantum attamen hic dedit veritati, ut juſtam Capaſſii cauſſam judicaverit. Id enim praecipue Capaſſius adverſus Laderchium probandum ſuſceperat, S. Creſcium, hujuſque Socios minime martyrium ſubiiſſe anno I. Imperii Decii Auguſti; illorum, quae extant, acta perſpicue in eo mentiri, quod Decium a menſe Octobris an. CCXLIX. ad Majum uſque inſequentis anni Florentiae fuiſſe affirmant; eademque minime ante Nicaenum Concilium, ſed multis poſt ſaeculis conſcripta fuiſſe, ut in primis indicant varii dicendi modi

ac formulae, conſuetudineſque, quae in ipſis occurrunt, longe ab antiquitate abhorrentes. Praeteritis commonefactus periculis ac malis otium tranquillitatemque vitae ſpectare coepit Capaſſius, idque ut facilius obtineret eripere ſe e conſpectu Coſmi III. conſtituit, ejus gratiam, & amiſſa munera (fuerat enim tum ipſius Coſmi, tum Card. Franciſci Medicei Theologus) recuperare ſe poſſe plane deſperans. Romam itaque venit exeunte anno MDCCIX. cum plurimum ſpei haberet in perſpecta jam erga ſe Card. Renati Imperialis benevolentia. Et quidem benigne liberaliterque fecit Cardinalis, cum ſibi Capaſſium Theologum delegerit, & comitem habere voluerit in itinere, quod Mediolanum fecit, cum Legatus a Clemente XI. ad Carolum III. Hiſpaniarum Regem mitteretur. Neque minorem erga ſe benevolentiam Capaſſius expertus eſt Card. Michaelis Angeli de Comitibus, a quo, ut ab Imperiali, in omnibus conſiliis & deliberationibus ad res theologicas pertinentibus adhibebatur. Ipſe vero nunquam iis non praeſtitit fidem & diligentiam ſingularem, ac parem ingenuitatem, liberta-

temque dicendi. Cujus quidem libertatis ſi ſemper moderatricem habuiſſet prudentiam, cumulatius ſatisfeciſſet iiſdem Cardinalibus, neque ſe novis implicuiſſet malis. Sed ita erat natura comparatus, ut non ſolum fingere & diſſimulare, ſed etiam obtegere ſententiam ſuam, ejuſque acerbam ſeveritatem blandi ſermonis artificio mitigare neſciret. Audierant ex eo multi quid ſentiret de *Conſtitutione Unigenitus*, quam per illa tempora Clemens XI. condiderat atque promulgaverat; nec voce tantum, ſed etiam ſcripto Capaſſius ſenſus ſuos aperuerat, cum ſaepe hac de re litteras ad amicos ſuos praeſertim Gallos dediſſet. Interim Romae apparuit epiſtola quaedam Gallice ſcripta, quae perſuadere conabatur Clementi XI. eſſe illius ſapientiae & aequitatis definite diſtincteque declarare quo ſenſu intelligi deberent damnatae quaedam propoſitiones Queſnellii, propterea quod illae in utramque partem, bonam ſcilicet & malam, accipi poſſe videbantur. Quoniam haec congruebant cum iis, quae valde ſolebant eſſe in ore Capaſſii, nemo non dubitavit ex hujus officina, quae circumferebatur, epi-

ſtolam prodiiſſe. Quae epiſtola cum in manus quoque Pontificis perveniſſet, magna is ſigna dedit Cardinali Imperiali doloris, offenſique in Auctorem animi. Cupiens vero Imperialis periculum, quod impendebat, a Capaſſio propulſare, ei perſuaſit, ut ſcripto res contentas in epiſtola confutaret, atque redargueret. Id cum praeſtitiſſet Capaſſius potuit ſe quidem metu, non tamen ſuſpicione liberare nimis favendi iis, qui Pontificis Conſtitutioni adverſabantur. Hi profecto tantum in Capaſſio confidebant, ut cum rumor ſparſus fuiſſet Innocentium XIII. illum ſibi adſciviſſe Theologum, omnes una mente & voce conclamare coeperint per illum tranquillitatem Chriſtianae Reipublicae reſtitutum iri (1). Declaravit quidem Innocentius cum primum Pontifex creatus eſt, velle apud ſe eſſe Capaſſium, ſeque illius opera & conſilio, ſicuti antea fecerat, in rebus Theologicis uti. Sed cum id cognoviſſent inimici il-

(1) Ex multis unam eligemus Dominici Lazzarini epiſtolam ad Capaſſium, ut ejus exemplum in fine hujus commentarioli referamus.

lius, qui erant potentiſſimi & plurimi, tot adhibuerunt machinas ad convellendum Pontificis animum, ut majori vi oppugnari non potuerit. Clamabant etiam plerique Cardinalium injuriam fieri univerſo ordini, ſi tanta fuiſſet auctoritas unius privati hominis in conſiliis de rebus gravioribus dandis, quanta eſſe ſolet *Congregationum* ipſorum Cardinalium. Neque hoc ſolum fecerunt inimici Capaſſii, ſed etiam renovarunt accuſationes de theſibus, quas in principio hujus commentarioli expoſuimus, quarumque memoria propter vetuſtatem extincta eſſe videbatur. Et profecto niſi auctoritas Proſperi Lambertinii, & metus offendendi Pontificis animum obſtitiſſent, Capaſſius contruſus fuiſſet in carceres nefariorum ſcelerum adverſus Religionem vindices; quam poenam ab ipſo non ſolum admurmuratione, ſed etiam voce & clamore in primis expoſtulabant Cardinales Laurentius Corſinius, & Franciſcus de Judice. Et dolendum hoc maxime fuit Capaſſio in tam gravi vulnere, quod Petrus Maria Pierius ſecum ſodalitatis vinculis conjunctus, qui ſedare Corſinium debuiſſet pro ſumma, qua apud eum

pollebat, auctoritate in conſiliis dandis, ipſum in ſe ſe inflammaverit. Quam ob rem de commutando vitae ſtatu, deque tranſitione ad Dominicanos coepit aliquando cogitare. Sed hujuſmodi mentem brevi mutavit, quod res aliquid offenſionis habitura, & indicia fracti animi allatura eſſe videbatur. In hoc vero ſatis glorioſe de inimicis ſuis triumphavit, quod Innocentius XIII. non ſolum voce, ſed multo magis etiam factis declaravit, mala, quae ipſi impenderunt, non ulla ejuſdem culpa, ſed occultorum quorumdam hominum ſtudiis & machinationibus excitata fuiſſe. Nam quamvis Theologi munus ei minime aſſignavit, ejus tamen conſilium multis in rebus exquiſivit, ipſique mandavit, ut ſcripto exponeret, quae praeſentibus Chriſtianae reipublicae temporibus & concordiae convenire judicaſſet. Opus itaque excudit, cujus eſt titulus: *Rifleſſioni d'un Religioſo devotiſſimo della Santa Sede ſopra un modo di levare li occorrenti diſſidii per la Coſtituzione Unigenitus*; quod quidem opus non latuiſſet ſemper in theſauris Capaſſii (1) ſi is occultius

(1) Tom. I. Manuſcript. Capaſſii, quae extant in Florentina Bibliotheca SS. Annuntiationis.

rem egiſſet, neque divulgaſſet de Gallicis negotiis jam eſſe confectum. At ne quid conficeretur, obſtitit etiam immaturus Innocentii interitus, quem omnes boni, & Capaſſius in primis vehementiſſime doluerunt, quaſi cum eo extincta fuiſſet omnis ſpes publicae tranquillitatis. Brevi haec revixit cum in locum Innocentii ſucceſſiſſet Benedictus XIII., recreatuſque etiam Capaſſius fuit, quod ab hoc Pontifice non mediocria ſibi amoris exiſtimationiſque ſigna impertita fuerunt. Quia tamen deſperabat fore ut manſuetioribus Romae uteretur inimicis, poſtquam Pontifici ad Romanum Concilium adfuiſſet, Florentiam ad ſuum coenobium rediit. Acceptus humaniter fuit a Jo. Gaſtone Magno Etruriae Duce, quod hic paterni odii in Capaſſium minime haeres eſſet, planeque cognitam haberet illius ſingularem doctrinam. Cujus judicii ſui illuſtrius quoque teſtimonium dedit, cum Capaſſium Stephaniani Ordinis Theologum, & Theologiae Doctorem in Academia Piſana creaſſet. Nunquam tamen ipſe operam ſuam navavit Academiae, utens poteſtate, quae ſibi data fuerat, quem voluiſſet, in locum ſuum

ſubſtituendi. Subſtituit autem Joannem Petrum Faucellium, quem multi ſummis parem Theologis judicarunt. Tandem Capaſſius, cujus vita perpetuis fluctibus fuerat objecta, pacatis ventis coepit uti, & quo propius ad mortem accedebat, quaſi terram ſibi videbatur videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione eſſe venturus. Sic quidem reliquum vitae tempus traduxit, ut ad placandum unice Deum illud ſibi relictum eſſe judicaverit. Apoplexis, qua ſemel iterumque correptus fuit, eum vita privavit anno MDCCXXXVII. X. Kal. Decembres paullo poſt mediam noctem. Illam vero multo antea praenuntiaverant frequentiſſima animi deliquia, quibus ut primum tentatus eſt Capaſſius, illa mentis acies, quae ſemper in eo fuerat ſumma, coepit hebeſcere. Triduo poſt mortem ſolemnes exequiae eidem perſolutae fuerunt, habuitque orationem de illius laudibus Julianus Sallerius, qui hoc ſe debere putavit & gradui dignitatis, quem in ſodalitate tenebat Capaſſius (nam Innocentius XIII. illum Exgeneralem, ut vocant, declaraverat) decori & laudi civitatis & Academiae Piſanae, ſuae

neceſſitudini, gratoque totius ſodalitatis deſiderio propter ſumma, quae a Capaſſio omni tempore acceperat beneficia. Nemo enim inter alumnos illius erat illuſtris doctrinae nomine, cui Capaſſius lucem ingenii, & conſilii ſui minime porrexerit; & quo poſteritati etiam ſerviret, auxit ſuum Florentinum coenobium eximia librorum ſupellectile, effecitque ut ſoror ſua Flammetta huic bibliothecae haereditatem ſuam, ex qua redeunt quotannis LXIV. centuſſes (ſcutata appellant), teſtamento legaret. Donavit etiam Capaſſius Templo ſui coenobii non mediocrem ſupellectilem opere eleganti perfectam, quod non minus ejus pietatem quam liberalitatem demonſtrat. Ut vero his largitatibus copiolae ſuae ſatis eſſe poſſent, has magna parſimonia ac diligentia colligebat. Neque ſolum liberalitas & parſimonia, ſed & aliae virtutes ſpecie diſpares prudentia conjungebantur in Capaſſio. Quis enim illo ſeverior & dulcior, gravior & comior habitus eſt? Amicitias coluit tum noſtratum, inter quos maxime dilexit Laurentium Magalottium, Antonium Mariam Salvinium, & Guidonem Gran-

dium, tum exterorum, maximeque Gallorum, apud quos tanto in honore erat Capaſſi nomen, ut nemo ei ſuperior doctrina divinarum rerum poneretur. Quod judicium ferebant quoque Itali omnes, qui ſumma malevolentia & livore minime impediebantur; numerabanturque iis temporibus Theologorum principes Benedictus Bacchinius, Joannes de Miro, & Gerardus Capaſſius. Ex multis, quae afferre poſſem, teſtimoniis unum eligam Card. Proſperi Lambertinii, cujus extant litterae ad Antonium Niccolinium in hanc ſententiam ſcriptae. *Quaeſo confer te ſub veſperam ad Templum Virginis ab Angelo ſalutatae: ibidem tantiſper oppèrire Capaſſium, dum ipſe divinis precationibus ſatisfecerit. Quando tibi obverſatur ante oculos homo, qui ſtatura omnes collegas ſuos multum ſuperat, cogita hunc ſtudio, ingenio, & doctrina non ſolum iis eſſe ſuperiorem, ſed ſummis quoque viris ceterarum omnium ſodalitatum, quae cis, & ultra montes ſint, parem haberi poſſe: hunc in cubiculum perſequere, meoque nomine amiciſſime amplexare.* Hoc judicii non ſolum, ſed etiam benevolentiae Lambertinii in ſe teſtimonium merito quidem Capaſſius mul-

torum elogiis anteponebat, ſimilis illi Hectori Naeviano, qui, ut eſt apud Ciceronem, non tantum laudari ſe laetabatur, ſed addebat etiam a laudato viro.

OPERA EDITA.

Intellectus triumphans, in Dogmaticis captivus, in Scholaſticis liber. Florentiae apud Vincentium Vangeliſti 1683.

Concluſiones ex Theologia, ac Philoſophia ſelectae pro ſolemniis D. Dominici propugnandae a F. Henrico Ant. Verzelli Servita in Conventu SS. Annuntiatae de Florentia praeſide D. M. Gerardo Capaſſi Florentino in eodem Coenobio Studii Regente. Florentiae 1687.

Lettera all' Abate Giuſto Fontanini ſopra gli Atti di S. Creſci. Extat in libro, cui titulus: *Lettera ad un Cavaliere Fiorentino devoto de' Santi Martiri Creſci, e Compagni in riſpoſta di quella ſcritta dal P. Fr. Gherardo Capaſſi dell' Ordine de' Servi di Maria a Giuſto Fontanini contro gli Atti de' medeſimi Santi, dati alla luce da Giacomo Laderchi Prete della Congregazione dell' Oratorio di Roma in* 4.

Nugae Laderchianae in Epiſtola ad Equitem Florentinum ſub nomine, & ſine nomine Petri Donati Polidori vulgata. Centuria prima. Accurante M. Antonio Gatto J. C. Genuae Typis Jo. Mariae Ferroni 1709. *in* 8.

Avviſo alla S. Chieſa Cattolica intorno a due libretti della Lettera Apologetica, e della Giunta del P. Gio. Griſoſtomo Scarfò convinto come ſoſpetto de vehementi di Gianſeniſmo da un Religioſo zelante. In Coſenza per Alfonſo Lelli 1712. *in* 8.

Riſpoſta del Cavaliere erudito alla Lettera ſeconda ſcritta
tagli dal P. Gio. Antonio Bernardi della Compagnia di Gesù ſopra i due primi Tometti del nuovo Giornale de' Letterati d' Italia. In Mantova per gli Eredi dell' Oſanna 1712. *in* 8.

Eſtratto e giudizio dell' Opera del P. Niccolò Mortier intitolata: Etymologiae ſacrae Graeco-Latinae. Extat in vol. XIII. *del Giornale de' Letterati d' Italia.*

OPERA INEDITA.

Duo magna Volumina, quorum tituli;
Collectanea Variorum.
Scripta Capaſſiana.

Digitized by Google

DOMINICUS LAZZARINUS
GHERARDO CAPASSIO
INNOCEN. XIII. THEOLOGO
S. P. D.

MAximam mihi ſpem injecerat Innoc. XIII., ubi primum Pontifex renunciatus fuit, ab illius probitate, atque conſtantia eos motus, quibus Eccleſia jamdiu conflictatur, ſedatum iri: ſed tuae ad Jacobum noſtrum litterae eam ſpem ita confirmarunt, ut dubium eſſe non poſſit, quin D. O. M. Populo ſuo tam neceſſario tempore conſuluerit, eumque Pontificem praefecerit, qualem haec ipſa tempora flagitabant. Ex illius enim litteris accepi, te ab eodem in illud conſilium advocatum fuiſſe, in quo de rebus ad Chriſtianam perſuaſionem ſpectantibus agitur, atque ita advocatum, ut ſummi Pontificis Theologus audias. Ecquis autem nunc non confidat fore ut ea diſſidia, quae nuper in Gallia quorumdam hominum fraude, atque dolo malo exorta ſunt, omnino componantur? Acceſſit ad hanc proborum hominum laetitiam rumor, idemque conſtans, adhiberi a Sapientiſſimo Pontifice ad conſilia illius ejuſdem diſſidii componendi Cardinalem de Via; quo viro cave putes, alium in eo ampliſſimo ordine eſſe hac aetate vel doctiorem, vel ſanctiorem, tum qui melius intelligat turbulentam illorum hominum calliditatem. Te vero illud pro tua cum doctrina, tum probitate conaturum confido, ut tanti Pontificis gloriae, ut nobis omnibus, qui Jeſu Chri-

ſti Servatoris gloriam, quae una illius erga nos invicta charitate nititur, ſartam tectam eſſe volumus, ut demum tibi ipſi conſulas. Habet autem Innoc. XIII. domeſticum Innocentii III. exemplum, qui conſulentibus eundem Gallis, ea vero animi demiſſione, qua ſummum Eccleſiae Caput conſuli par erat, ita reſpondit, ut nullum ſeditioſis hominibus cavillandi locum reliquerit.

Vellem autem certiorem faceres Pontificem, in his locis ita quosdam abuti Clement. XI. conſtitutione illa percelebri, ut ſanctiſſimam illius Pontificis mentem eo traducant, quo traduci nefas omnino, & impietas eſt. Hisce ergo auribus audivi Venetiis, ego autem? Imo Veneti propemodum omnes quendam e ſummo loco ſuae orationis ſcopum eſſe voluiſſe, ut diceret, Chriſti opem, ut *poſſimus* quidem, minime vero *ut velimus*, *neceſſariam eſſe*. Quo quid magis impium dici poſſit, omnino non video. Ille idem Patavii ita in Sanctum Auguſtinum eſt invectus, ut audaciorem hominem nunquam audiverim: eo vero eſt prolapſus, ut diceret peccati poenam eſſe ubi quis in uno Chriſto ſpem ponat; aeque contra noſtris viribus, atque Chriſti opi, auxilioque eſſe fidendum. Sed quae monſtra ſtolidae multitudini clanculum atque inſidioſe inſuſurrant! Sanctorum Auguſtini, atque Thomae doctrinam ex conſtitutione abrogatam eſſe; eos qui commentum illud funeſtiſſimum *ſcientiae mediae* oppugnant, cauſſa cecidiſſe, haereticosque eſſe. Demum ea ſpargunt, quae ab illius Pontificis mente omnino ſunt aliena. Quae niſi & certa & exprompta mihi eſſent, religioni ducerem illud efficere, ut tu Eccleſiae Capiti falſa diceres. Sed tute ipſe illorum hominum ſtudia optime noſti. Vides igitur quo loco ſis; quid de te optimi quique ſperent; quanta ſint, quae ad

officium tuum pertineant. Sed nae ego imprudens, qui cum gratulari tibi deberem, ut certe vehementer, & ex animo gratulor, ita ſcribam quaſi te admoneam officii tui. Neque enim timendum eſt, ne tua innocentia, atque virtus, ut bene multis contigiſſe compertum eſt, honoribus aucta ſtangatur, atque debilitetur, ut pote qui probe intelligas eam tibi homines dignitatem tum gloriae daturos, cum eandem chriſtianae Reipublicae emolumento fuiſſe viderint. Nunc illud abs te etiam atque etiam peto, ut mihi in ea re gratificari velis, unde & ego uberrimum capiam amicitiae noſtrae fructum, tu vero amori erga me tuo jamdiu mihi perſpecto ſatisfacias. Tibi non obſcura eſt crudelis quorumdam hominum erga me malevolentia, quod optimorum ſtudiorum cauſſam ſuſceperim; quod veterem eloquentiam, eruditionemque in Italiam revocem; quod bonas artes ab eiſdem corrumpi quam vere, quam conſtanter dicam. Hi me homines iis calumniis proſcindunt, ut nihil eorum quicquam omittant, quae ad foedandam hominis dignitatem opportuna eſſe judicent. Quare mihi maximopere conducet, ſi ſanctiſſimus Pontifex, quis ego ſim, ex te audiverit. Nolo tamen quicquam amori erga me tuo tribuas. Quae illi abs te dici velim, haec omnino ſunt. Me a primis annis optimis artibus operam dediſſe, in iiſdemque fuiſſe, non felicem quidem, diligentem tamen. Iis autem moribus eſſe, ut laeſerim neminem; nemini probo, honeſtoque diſplicuerim. Teſtes iſthic eſſe certiſſimos, ampliſſimoſque quemadmodum vitam egerim, inter quos ipſe Georgius Spinula, vir ampliſſimus, & idem Cardinalis de Via principem locum obtinent. Utinam vero viveret Cardinalis Caſonus. Quantum in illius teſtimonio de me acquieſcerem! Demum me eſſe natum in ampliſſimae illius

gentis clientela. Etenim Sanctiſſimi Pontificis Patruus cum Piceno praeeſſet patrem meum non ornavit modo, ſed propemodum amavit. Saepe Murri (oppidum id eſt in Piceno agro) in patris domibus a curis animum remittebat. Fratrem meum ſacro fonte ſuſcepit. Pater contra nihil quicquam omiſit, quo ſuam erga eundem obſervantiam, cultumque teſtaretur. Illius iconem una cum avunculo meo in aula Palatii Maceratenſis collocandam curarunt. Etiamnum in meis domibus extant publica patris erga eundem cultus monumenta. Quae niſi a nobis filiis clientela culta litteris eſt, culta ſemper animo certe fuit: ne vero coleremus litteris, una verecundia impedimento fuit. Haec autem omnia ita illi a te dici velim, non quaſi aliquid expetam, nulla enim vel dignitatum vel opum cupiditate angor; ſed ut ſibi Sanctiſſimus Pontifex perſuadeat, me & pro illius dignitate, probitate, ſanctitate, nobilitate, quarum rerum nulla in eodem non ſumma eſt, & haereditario quodam jure, fauſta omnia cupere, atque adeo illud unum flagitare, ut me ſuis ſanctiſſimis pedibus obvolutum, non ornandum quidem, ſed fovendum tamen, tuendumque ſuſcipiat. Id ſi feceris, maximo beneficio me tibi devinxeris. Vale.

Patavio 20. Jun. 1721.

Angelus Fabronius

Pagninio suo

S. P. D.

Vetus fuit quidem ſemper opinio non poſſe admoveri orationem ad ſenſus animorum excitandos ſine diligentiſſima earum omnium rerum perveſtigatione, quae de naturis humani generis ac moribus ſolent a philoſophis explicari, nihilque inſulſius eſſe inani volubilitate verborum nulla ſubjecta ſententia. Sed in ea nunc devenimus tempora, quibus nullis circumſcripta cancellis philoſophiae jura videntur; hanc in omni re & vel in iis artibus, quae ad oblectandos animos ſunt inventae, dominari debere, & poetam, qui neſciat miſcere utile dulci, omnium irriſione ludendum eſſe praecipitur. Ac mea quidem ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus ſcriptor, niſi ex multarum rerum cognitione efflorefcat & redundet illius oratio; ſed tantum oneris minime imponam poetis, nihil prope ut iis putem licere neſcire; & ſi primas dedero ſententiis, hac pro-

ſecto, quamvis nobiliſſimae, obſcurarentur ac pene obruerentur niſi verborum imaginibus, pictoris cujusdam ſummi ratione, formarum varietate locos diſtinguentis, informarentur. Philoſophiam quidem in poeſi admiror, ſed ea ſordeſcet mihi, ſi non ſit illuminata imaginibus agentibus, acribus, inſignitis, quae celeriter percutere animum poſſint; ſi ſuſpicabor non hanc eſſe propriam poetae, eique neceſſe fuiſſe aliena ſcrinia expilare; vel demum ſi carminum materiem ex obſcuriore aliqua ſcientia deſumpſerit. Porro Lucretium vix dignum nomine poetae judico cum totus eſt in explicandis Epicuri dogmatibus; neminem vero ei ſuperiorem pono cum ex ſe ipſo, non ex philoſophorum libris, ea promit atque haurit, quae ad illuminandam, & ut ita dicam, vivis pingendam coloribus Epicureorum philoſophiam pertinent. Omnino vero ex poetarum albo excludendum Aratum cenſuerim, etſi optimis atque ornatiſſimis verſibus, ut ait Craſſus apud Ciceronem, de caelo ſtelliſque dixerit. Nam cum Arati, *ut eſt Quintiliani judicium*, materia motu careat, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla perſona, cui uſquam ſit oratio, *ipſum quidem aſtrologiae, minime vero poeſi ſatisfeciſſe judica-*

bimus. Quamvis igitur nullae ſint artes, nullae doctrinae, quae comites & miniſtrae eſſe non poſſint poetae, cui ſummopere elaborandum eſt, ut pectus oneret multarum rerum cognitione, ſi tamen ipſe philoſophari nimium volet, neque multum delectabit, neque admodum inſtruet; quare quoties ei opus erit verſibus exponere quae ſunt propria reconditiorum doctrinarum, imitabitur ſaltem eos qui aliquid fingunt; etſi enim pictura tum nihil utantur, tamen utrum ſciant pingere an neſciant non obſcurum eſt. Quid, quaeſo, Filicaja, Menzinius, Guidius, quos nemo ſane in principibus lyricorum poetarum numerare dubitabit, didicerunt de phyſicis & mathematicis, ceteriſque hujuſmodi rebus, quae philoſophiae nomine continentur? Verum ſi iſthaec doctrina iis defuit, non defuit certe ingenium ad magna cogitanda, & haec quaſi luminibus verborum diſtinguenda; in quo quidem licet multa ſit vis incredibiliſque naturae, plurimum etiam ars & judicium poteſt, in numerorum praeſertim & formarum delectu, qua re maxime animari poeſis videtur. Nihil eſt enim tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri atque voces, quibus & excitamur & incendimur, & lenimur & langueſci-

mus, & ad hilaritatem & ad triſtitiam ſaepe deducimur. Quare minime eſt mirandum ſi vel hominum vulgus tacito quodam ſensu ſine ulla arte ac ratione, quae ſunt prava in carminibus recte interdum judicat, & qui oratoribus facile concedit, ſi quid in oratione claudicat, poetae, ſi quid eſt pectatum, minime ignoſcit. Ex omnibus autem breviorum poematum generibus lyrica difficillima jure meritoque putantur, quia dicendi genus eſt eligendum grave, elatum, numeroſum, verborum ſententiarumque floribus conſperſum, quod ſenſus habeat, & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. Saepe enim faſtidiis adhaereſcunt, quae ſenſus impellunt acerrime; praeter quam quod finitima ſunt virtutibus vitia, & dum ornamentis oblectamur, cincinnis & fuco offendimur, & dum ſublime conſectamur, facile in inflatum delabimur; adde quod ipſa perfectio debet habere quamdam varietatem, ita tamen ut nihil ſit diſcors & humile, & umbram etiam aliquam & receſſum, quo magis id, quod eſt illuminatum, extare & eminere videatur. Etiam majus eſt illud, quod a lyrico poeta exigimus, ut porro ejus carmina cum animi inflatione & cum quodam afflatu quaſi furoris fuſa videantur,

& non aurium ſolum ſed & animi acri judicio, quae duo contraria ferme dixeris, ſint perpolita. Multa alia perſequi poſſem, quibus veluti vinculis adſtringitur lyricus poeta, quibuſque fruſtra exolvi ſe poſtulabit. Solent nonnulli ſaepe materiem carminum ex heroum veteribus caſibus fictiſque fabulis ſumere; ſed meo conſilio, qui his indiget (quanquam & hae quoque magno eſſe poſſint uſui poetae ſi ipſis parce utatur praeſertim ad ſimilitudinem faciendam) ad aliud ſtudium convertet animum, cum munus poetae ſit non aliena, ſed propria ſenſa atque cogitata exprimere atque ornare dicendo. Quid magnificentius atque mirabilius lyricis carminibus Filicajae? Quanquam ipſe, ut pote qui plurimum in ſcriptis veterum erat exercitatus, omnia, quae ad mithologiam pertinent, animo ac memoria contineret, hujus tamen ſcientiae vix in illius ſcriptis veſtigia agnoveris, cum totus in eo eſſet, ut, quod volebat; magniloquentia, nobiliſſimiſque figuris, quae non conquiſitae, ſed obviae fuiſſe ſcriptori videntur, non illuſtraret modo atque augeret, ſed etiam pene oculis ſubjiceret: miraberis vero ex uno eodemque fonte tantam copiam, novitatem, varietatemque imaginum manare potuiſſe; & quamvis eminentia

bore confectum recitant, minime intelligentes quod dum inertiae vituperationem fugiunt, aſſequuntur illam, quae major eſt, tarditatis. Vale, & cum in multis ingenuis artibus diſcipulos tuos exerceas, fac in poeſi, in qua te acquieſcere ſcribis, eos ita verſari, ut excellant.

Piſis IV. Kal. Novemb. MDCCLXXX.

Digitized by Google

BENEDICTUS MENZINIUS.

VEnio nunc ad Benedictum Menzinium, cui maxime Phoebus ſpiritum & artem carminis & nomen poetae dediſſe videtur. Ortus Florentiae humilibus & pauperrimis parentibus an. MDCXLVI. IV. Kal. April. non caruit, ut ipſe de ſe ajebat, obſoleti ſordibus tecti (1) & in omnium pene rerum anguſtia aegre a patre obtinuit, ut litteris operam dare poſſet. Cum quantum generi dempſit fortuna, tantum ipſe addere virtutibus ſibi propoſuiſſet, non dubitabat fore aliquando ut injuriae ſuae etiam fortunam poeniteret. Itaque ad bene dicendum, Miglioruccio duce, convertit animum, & litterulis etiam Graecis & philoſophia imbutus eſt, Deo ſe gratias agere affirmans, quod ſibi contigerit Florentiae nutriri, quae ſemper abundavit optimis praeceptoribus, qui ad dicendi artem ea quoque adjungerent, quae ad re-

(1) —— *Fra tre mattoni in Rubaconte*
Nacque. (Sat. VII.)

Hoc vero nomine vocabatur pons Florentinus, quem nunc dicimus *Ponte alle Grazie*.

rum omnium vim naturamque noſcendam pertinent. Admiratus juvenis ſingulare ingenium Vincentius Salviatus, vir nobilitate & amore in litteras praeſtans, ipſum egere vetuit cum domum ſuam invitaſſet, & ſcribere coegit. Primas tulit laudes Menzinius ab eloquentia, ſed cum verbis effervescentibus & paullo nimium redundantibus uteretur, laudabatur fortaſſe hac ipſa de cauſſa, quod non ſit aſpernanda in adoleſcente foecunditas. Nam ſicuti facilius in vitibus revocantur ea, quae ſe ſe nimium profuderunt, quam ſi nova ſarmenta cultura excitanda ſint, ita volumus eſſe in adoleſcentibus, unde aliquid amputemus. Sed in eo praeſertim genere ſe exercuit Menzinius, quod verſatur in cohortandis hominibus ad virtutem, nec dubitavit aliquando partes ſuſcipere Paulli Segnerii, cum is valetudine impediretur ne verba faceret in quodam ſodalitio; quodque mirabilius eſt, pauci tum viſi ſunt deſiderare hominis eloquentiſſimi vocem, Menzinio ipſo dicente. Laudationes quoque ſcriptitavit, & quod ethica praeſertim delectabatur, ſingularum virtutum officia & munera libenter

explicabat, reſque geſtas ad cujuſque virtutis genus & vim & nomen ſapienter accommodabat, quae quidem jucunda erant auditu. Coegit vero eumdem pauperies aliis tradere quae ipſe didicerat, & quae ceteri ludimagiſtri tenui quodam exanguique ſermone exponere ſolent, ille cum quadam gravitate atque jucunditate diſcipulis ſuis explicabat. Florebat tum Redius, qui in hoc maxime gloriari videbatur, quod faveret ac plauderet ſepultis ingeniis. Itaque cum de Menzinio audiviſſet, ipſum adivit, & coepit hortari verbis, quae addere quoque animos timido potuiſſent, totum ut ſe Italicae dederet poeſi. Ex paucis enim carminibus conjecturam fecerat (1) magnus ille ingeniorum

(1) *Diaſi lode al mio Redi: egli promiſe*
Che un giorno avrei corona,
Se all' Argivo Elicona
Il piè volgea, dove a me il cielo arriſe.
Nel tempio del mio cuor ſacrai ſuo detto:
Che ſembreria ſciocchezza
Di ciò che più s' apprezza
Non averne quaggiù fervido il petto.
Io preſtai fede al vero
Poi moſſi al gran ſentiero. (Menzin. Od. I. lib. II.)

aeſtimator divinam in eo eſſe mentem & os magna ſonaturum, & quodcumque chartis Menzinius illeverat, geſtiebat in adoleſcentium corona recitare ob hanc rem, quod ſciebat plures ex iis eſſe, qui hoc ſtudiorum genus contemnerent ac pene irriderent. Invitavit quoque ipſum ad laudes celebrandas Coſmi III., ſed raro hic poetarum laudibus aures commodabat amicas, quamvis de eo talia praedicaret Menzinius, quaſi ipſo regnante, aureum illud a poetis confictum ſaeculum in Etruria ageretur. Ambitioſi quoque Principis ſuffragia & patrocinium venari ſe poſſe putavit, ſi integrum carminum volumen, quod anno MDCLXXIV. typis vulgavit, ejus inſcripſiſſet nomini. Sed haec quoque leviter curare viſus eſt Coſmus, quod plurimum gratia apud illum poſſent qui nil rectum, niſi quod ſibi placebat, ducerent, & lividi averſarentur impugnarentque quidquid magni ingenii homines literis conſignabant, ut ipſi ſoli ſapere viderentur. Ex iis carminibus intelligi poterat magna eſſe in Menzinio ad poeſim dona naturae: ſed inſeri quidem & donari ab hac non poſſunt omnia. Accedat

rum vel magnitudine vel utilitate, judicabit fortaſſe aliquid perfectius & uberius a Menzinio proferri potuiſſe; ſed haec ipſa, quae ex commentariolis ſuis inchoata ſibi excidiſſe dicebat, declarant quantopere in ſcriptis veterum eſſet verſatus. Cum vero jam a ſe expectari putaret, ut ipſe exempla ſuppeditaret recte ſcribendi rationis, an. MDCLXXX. volumen typis commiſit, quod magna ex parte conſtat lyricis carminibus, atque idcirco inſcripſit; *Poeſie liriche di Benedetto Fiorentino*. Ornantur illa quaſi colore quodam & ſucco ſuo, & quamvis conſperſa ſint omni verborum ſententiarumque flore, id tamen non eſt fuſum aequabiliter, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quaedam inſignia & lumina. Sive gravis, ſive grandiloqua, ſive mollis ſit oratio pro varietate argumentorum, ſemper tamen a te extorquere velle Poeta videtur illam exclamationem, *non potuit melius*; neque ſolum *bene & praeclare*, ſed *belle & feſtive* ſibi dici poſtulabat, cum aliquid Anacreonticum in lucem hominum proferret: nam ad laudem divini ſenis, qui hujuſce poeſis generis princeps

& inventor fuit, aſpirare ſe poſſe arbitrabatur (1). Hic aemulus & imitator magnorum exemplorum, ut neminem ſuperiorem ponebat Gabrieli Chiabrerae in lyrica & anacreontica poeſi, ſic illius praeſertim perſequi veſtigia ſibi propoſuit. Neque metuebat ne dum vitioſum vitaret, etiam verum ſanguinem deperderet. Ars enim, judicium, & prudentia ſumma mentis illius vim atque impetus moderabantur, & dum libere ſpatiabatur (prudenti enim libertate non modo gaudere, ſed pene ſuſtentari poeſim dicebat) cavebat ne licenter errare videretur. Licet hoc videre multis in carminibus Menzinii, ſed praeſertim in iis, quibus ſe ipſum vel ad invidorum voculas contemnendas vel ad virtutem colendam excitavit, vel Florentinorum Principum aliorumque heroum laudes celebravit, vel victricia Chriſtianorum arma lauro redimivit, vel demum ſanguineas Re-

(1) Ita de ſe Menzinius in quadam Diſſertatione Academica. *Rivolgendomi al canoro Anacreonte io poſſo con non pauroſa voce dir lui.*

Me pure han viſto le Toſcane ſpoſe
Cirmene inghirlandato in lungo ammanto
Sul chiaro eſempio che 'l tuo ſtil propoſe.

gum rixas, atque aeterna odia eſt deteſtatus. Dum Menzinius libere alacriterque indulgebat poeſi, fore ſperabat, ut per illam aliquando egeſtatem ſuam ſuſtentare poſſet. Sed cum repulſam a nobilioribus quibuſdam tuliſſet, quibus liberorum ſe inſtitutorem obtulerat, quaſi poeſis ad elidendos omnes virtutis nervos inventa fuiſſet, & cum praeciſam ſibi ſpem videret docendi in Academia Piſana, quod vehementer efflagitaverat, diſcruciari coepit, & omnibus iis iraſci, quos adverſarios & obtrectatores ſe habere ſuſpicabatur. Scripſit ergo duodecim ſatyras Italicas, ut veriſſimis maledictorum notis inuſta traderet hominum memoriae ſempiternae nomina Curculionis, Gargilii, Malturi, Sgobbiae, aliorumque, quos oderat odio plusquam Vatiniano. Sed praeſertim ſuam inſatiabilem crudelitatem exercuit in Curculionem ſeu Moneliam, quod ejus vitae nulla non inuſta eſſet turpitudinis nota, & qui ad irridendum Menzinium hujus ore non loqui, ſed mingere Muſas dicere ſolebat. Saepe etiam mordet ſaeculi vitia, aut ventoſos homines, aut malos poetas, aut eos, qui

cum ſtarent in ganearum nidore ac fumo; ſe tamen caſtimoniae virtutique ſervire ſimulabant, aut illos, qui, ut putentur ſapere, caelum vituperant, vel eos denique qui perverſa Principi conſilia dabant. Acerbiſſimis enim tum oppreſſa erat vectigalibus Etruria, erantque leges, queis earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quas egeremus, invectio prohibebatur. Quae dum recordamur, gratulari aetati noſtrae cogimur, quod nobis ſub optimo Principe liceat eſſe beatiſſimis. Sed ad Menzinium revertor, cui cum fuiſſet in animo Dantem imitari, vim quidem hujus expreſſit, ſed ejus oratio non modo nervos & aculeos habet, ſed etiam quaedam petulantia & popularia dicta, & cum maledictio petulantius jactatur, convicium nominari debet. Interdum etiam deſiderari poſſe videtur quaedam continuatio ſerieſque rerum, ut omnes inter ſe aptae colligataeque appareant, & ſane vires ſatyra acquirit, ſi uno in argumento, unaque in perſona, ut exemplo eſſe poteſt ſatyra X., tota verſetur. Nihilo tamen minus principatum in hoc poeſis genere, ne Areoſto quidem

dem excepto, qui naturali quadam pulchritudine excellit, Menzinius petebat, adeoque aberat, ut damno atque dedecori ſibi fore putaret, quod multos Italo aceto ac ſale nigro perfricuiſſet; ut hoc in primis homo fervido ingenio gloriari videretur. Quare facile ſatyrarum exemplaria amicis concedebat, & harum autographon Paullo Falconerio, quo multum alienarum opum indigens utebatur, dono dedit, ab eo tamen vehementer petens, ne eas typis committi ſineret. Quater uſque impreſſae fuere poſt Auctoris mortem, unde colligitur eaſdem fuiſſe gratiſſimas iis, qui hoc poeſis genere maxime delectantur, & qui vitiorum emendatricem poeſim eſſe debere contendunt (1). Ceterum

(1) Miraberis fortaſſe hominem, natura leniſſimum, qualis profecto erat Redius, ex Menzinii quoque ſatyris ipſum laudandi occaſionem ſumpſiſſe: *Ditir.*

E quei che in prima in leggiadretti verſi
Ebbe le grazie luſinghiere al fianco,
E poi pel ſuo gran cuore ardito e franco
Vibrò ſuoi detti in fulmine converſi,
Il grande anacreontico ammirabile
Menzin, che ſplende per Febea ghirlanda,
Di ſatirico fiele atra bevanda
Mi porge oſtica, acerba, e inevitabile.

quod non de his modo, ſed etiam de omnibus Menzinii carminibus facile judicaveris, verbis magis, quam rebus acrem ſpiritum ac vim ineſſe dixeris, omneſque eumdem ſuperaſſe facilitate concludendi verſus illo ſimiliter deſinente, & dictione omnino poetica & ipſis Muſis digniſſima. Quare aut per audaces dithyrambos nova devolvit verba, aut epicum canit, aut mores aureos & dignos Heroas educit in aſtra, aut apium more grata legens thyma circa nemus & prata, vel in montibus paſtoritia fingit carmina (& quae ſunt hujus generis, mea quidem ſententia, ceteris ſunt praeferenda) ipſum laurea Apollinari donandum judicaveris. Solent plerique, cum de lyricis Menzinii carminibus ſermonem inſtituunt, curioſe inquirere conferri ne ipſe poſſit cum Filicaja & Guidio. Tantum eſt in Filicaja flumen graviſſimorum optimorumque verborum, tam integrae ſententiae, tam verae, tam novae, tam ſine pigmentis fucoque puerili, ut ille non ſolum ardere ſed & incendere lectorem mihi videatur. Cum vero hujus animum raro relaxet, & novis incrementis

ejus ſemper augeſcat oratio, & omnia excogitata & omnia diſtributa optime ab illo ſint; nimis fortaſſe artificium in opere tamen divino apparet. Parum artis habet Guidius, plurimum naturae, & velut amnis monte decurrens nulla contineri poſſe ripa, & ſecum omnia, quae offendit, trahere videtur. Moderatius fluit Menzinius, & abundare copia & ſuavitate illa voluiſſe videtur, qua perfunderet animos, non qua perfringeret. Erant iniqui, qui canoras nugas ſundere ipſum dicerent, quod ejus ars praeſertim appareret in verborum delectu, ſed ipſe quoque ſua vi quadam ſublevatur, & quamvis altos nubium tractus, ut Guidius, cum caſus periculo minime praetervolet, neque rerum copia, ut Filicaja, abundet, quos tamen donat carminibus ſuis, munere ſane donat ſignis potiore. Quin ergo beatiſſimam praedicabimus Chriſtinam illam Syecorum Reginam, quod cum laudum eſſet percupida ab his potiſſimum poetis ornata ac celebrata fuerit, eoſdemque ſummis beneficiis ad ſuam neceſſitudinem adjunxerit? Stephani Pignatellii, & Decii Azzolinii Cardinalis ſtudio emerſit in

illa deſiderium vocandi ad ſe Menzinium; ipſique Romam accedenti, quod evenit anno MDCLXXXV., obviam miſit rhedam cum hominibus, qui ſuo in famulatu erant. Quam igitur expectationem, quod ſtudium, quem favorem ſecum in orbis terrarum nobiliſſimum theatrum attuliſſe Menzinium putamus, inſignibus non ſolum exiſtimationis; ſed etiam amoris declarationibus a tanta femina decoratum? Is nihil omiſit quod ad oſtendendum gratum animum ſuum pertineret; & miror equidem Latinas potius Muſas quam Italicas ipſum ſtatim advocaſſe ad Reginae laudes celebrandas. Valebat quidem Latina poeſi, ſed multos in hac arte habebat ſuperiores, & quam condidit panegyris in varias incurrit aut doctorum aut invidorum reprehenſiones. Sed ita plerumque ſumus natura comparati, ut qua facultate minus poſſumus, ea praeſertim mali virium noſtrarum exiſtimatores gloriari videamur. Laudationem aliam poſtea Menzinius emiſit, in qua condenda Italas Muſas adeo propitias ha-

buit (1) ut illam cum legeris, invideas Reginae multarum virtutum comitatum, ſed maxime rerum humanarum contemptum; & neminem fore tam averſum a Muſis affirmes, qui non mandari verſibus aeternum ſuorum laborum praeconium facile patiatur. Nullum porro fuit tempus in vita Menzinii quod minus debuerit mutum eſſe a litteris, quam dum gratia & beneficiis afficiebatur ſingularibus Chriſtinae. Otium quo fruebatur, urbs ubi degebat, ſpes quibus ſuſtentabatur, voces ipſae Reginae, homines quibuſcum vivebat, & praemia quibus donabatur, magna erant incitamenta laborum. Itaque ſaepe prodibat in publicum multum ſibi appetens de arte ſcribendi Etruſce & Latine, & numeris adſtricta atque ſoluta oratione. Quod judicium vero faceret de optimo poeſis genere, & quae eſſent praecepta & viae ad illud aſſequendum ſcripto expoſuit, quo nihil elegantius ſententiis & verbis fieri potuit. Illud inſcribitur *Poetica*, & fama eſt duorum men-

(1) Hujus initium eſt:
Sovra carro di gloria
Vider dolci rapiti i ſenſi interni
Alto levarſi l' immortal Criſtina.

ſium ſpatio conditum illud ipſum fuiſſe. Quae in hoc ſparſit quaſi ſemina ſapientiae, quae tulit judicia de nobilioribus Italicis poetis, qui quod in diſſimili ſcribendi genere ſunt verſati propriam quamdam laudem habere videntur, quidquid praecepit ad eluendas ſaeculi, in quo vivebat, ſordes, reſtituendamque poeſi priſtinam dignitatem, elegantia judiciumque in rebus eligendis exponendiſque declarant quidem non minus arte quam natura valuiſse Menzinium. Inſtituit hanc ſuam Poeticam ad Azzolinium Cardinalem, ut gratus erga eum praeteritorum beneficiorum cognoſceretur, & ad nova ſibi deferenda ipſum invitaret. Saepe enim egebat, quod non tam adverſae fortunae, de qua nunquam non ipſe querebatur, quam ejus moribus (gloriari enim videbatur quod eſſet homo largitor ac pene prodigus, menſae ceterorumque hujuſmodi oblectamentorum amans (1) tribuendum. Hac ipſa de cauſ-

(1) *Nudo e ſolo ho ſaputo far fronte alle coſe avverſe; nelle anguſtie domeſtiche ho ſaputo ſoccorrere chi aveva meno di me; in mezzo alle tempeſte non ho laſciato mai di ſcrivere, di comporre e anche di darmi bel tempo. Queſto a me pare che ſappia dell' eroico.* In epiſt. ad Tegliam dat. Romae VIII. Kal. Jun. an. 1692.

ſa ſtuduit ſibi aliorum divitiis affluentium hominum benevolentiam ac patrocinium conciliare; nec mediocri donatus fuit pecunia cum volumen carminum ſuorum Laurentio Corſinio Cardinali dedicaſſet. Non tam liberaliter egit cum eo Rainaldus Ateſtinus, cui poema illud ſuum, quod inſcribitur *il Paradiſo terreſtre*, nuncupavit. Hoc vitium enim commune fuiſſe videtur omnibus Ateſtinis Cardinalibus, ut poematum conditores nec laudibus nec praemiis afficerent, atque eo magis dolebat Menzinius, quod tale ſe condidiſſe poema arbitrabatur, quod poſset Areoſto atque Taſso invidiam movere. Multum ſplendoris habent ejus carmina, & honore digna ipſa judicaveris, aptumque poetam non ſolum ad juvenum curas, & paſtoritia oblectamenta referenda, aut ad exiguos elegos, Bioneoſque ſermones condendos, ſed etiam ad epicum canendum. Sed quis cum Areoſti vel Taſſi laudibus certare poſſit? Et quamvis Bellinius affirmaverit nihil jucundius unquam accidiſſe auribus ſuis hoc poemate, illud tamen ex hominum memoria pene excidiſſe videtur. Memor Men-

zinius Horatiani praecepti, quo monemur Socraticas chartas diurna nocturnaque manu verſandas, propterea quod

Scribendi recte ſapere eſt principium & fons;

ſtuduit ſemper non tam delectare quam prodeſse, ſuiſque carminibus ſimul & jucunda & idonea praecipere vitae. Reſpiciens ergo grandiorum exempla virtutum hinc veras deduxit voces ad moralem philoſophiam ſolutis verſibus exponendam, nec quiſquam dubitaverit quin ipſe valuerit magis ad tradenda quam ad exequenda morum praecepta. Quis enim credat hominem aleae deditum declamationes vulgaſse, quibus vehementiſſime in hujuſmodi ludos invectus eſt? Verum ſi ejus actiones non ſemper cum oratione conſentiebant, laudabatur tamen hoc ipſo quod a verſutiloqua malitia abeſset, & iis, quibuſcum verſabatur, qualis eſset ſe proderet; cumque aliis animi bonis excelleret, omnes admirabantur in uno homine tantam ineſse diſſimilitudinem tamque diverſam naturam. Idem, cum tempus poſceret, labo-

rioſus, patiens, affabilis, blandus, & beneficiorum memor, & cum amicorum in ſe tuendo facultatibus minime caruiſset, & fide ad alios ſublevandos ſaepe uſus eſset, conjici ex eo poteſt omnia ſibi cum amicis eſse voluiſse communia. Fuit & diſertus, neque minus concinnus in brevitate reſpondendi, quam in perpetua oratione ornatus. Habuit non ſolum aemulum, ſed etiam obtrectatorem Alexandrum Guidium, quocum ſaepe conviciis certavit, videbaturque omnes invitare ac pene cogere ad aliorum laudes deprimendas, ſuas extollendas. Deriſum credo fuiſse hominem gloriae percupidum, & interdum etiam arrogantem, cum dictitaret ceteros vix tolerabilia, ſe vero nunquam interitura carmina committere chartis, quare ſaepe illud Horatianum uſurpabat

Carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneris:

Quae cum de ſe ſentiret, erat cur vereretur ne a Sectano, cujus ſatyrae tum omnium ſermone celebrabantur, exagitaretur. Itaque

Pontifex Maximus creatus eſt Innocentius XII. venerat. Hunc Roma diſcedentem cum ſequi recuſaſset, quod ſpes ei aliqua oſtendebatur fore ut in Academia Patavina doctoris munus obtineret, non multo poſt ab ipſo Pontifice inter familiares ſuos, quos ab oſtio dixeris, adſcribitur, & S. Angeli in Piſcina Canonicus creatur. Quod haec commendatione maxime impetravit Joannis Franciſci Albanii Cardinalis, adverſantibus licet Jeſuitis, qui durius acceperant, quam homines innocentes ſolent, quae de iis quibuſdam in ſatyris ſcripſerat (1) coepit majori quoque ſpe ſuſtentari quando ipſe ad Catholicae Eccleſiae gubernaculum acceſſit. Nemo enim illo erat propenſior ad benignitatem in calamitoſos litteriſque deditos exercendam. Certe hoc non mediocre fuit amoris Pontificis in Menzinium teſtimonium, quod eum adjutorem dederit Michaeli Bruguereſio in Romano Archigymnaſio eloquentiae magiſtro.

(1) Sat. I. & IX. Vel antea concitaſſe in ſe iram Jeſuitarum putatur Menzinius, cum imitatus carmen illud ſacrum, cujus initium *Dies irae dies illa*, quaedam injurioſa illis hominibus in vulgus ſparſiſſet.

Munere ipſo, quod Laetus, Calderinius, Parraſius, Amaſeus, Antonianus, aliique homines doctrina ſummi ſuſtinuerant, admonebatur Menzinius ad eorum gloriam aemulandam; & in eo laudem non-mediocrem colligere ſe poſſe putavit, ſi ad Latinas litteras totum ſe converteret. Vulgavit itaque orationes *de morum philoſophiae, humanarumque litterarum ſtudiis, & de Leonis X. P. M. laudibus;* ſed quamvis haec ceteraque ejus Latina ſcripta non vulgari tincta ſint elegantia, non compleviſſe tamen illa arbitror aures ſapientum judicum, qui non tam puro ſermone, quam colore quodam & ſucco optimorum ſcriptorum ſe aſſuefecerant. Ubi vero praecepta tradit *de poeſis innocentia & de litteratorum hominum invidia* agens, pervulgata praecepta decantare mihi videtur, quapropter minime iis aſſentior, qui Menzinio alias tribuendas eſſe laudes cenſent praeter illas, quae a poetica derivantur. Ne primoribus quidem labris guſtaverat ſeveriores diſciplinas, & turpiter lapſus eſt quoties a geometria trahere voluit ſimilitudines (1)

(1) *V. Sat. IV. v. 45. & lib. IV. Poet. v.* 138.

Nihil dico de illa philoſophia, quae rerum divinarum humanarumque naturam cauſſaſque ſe tradere profitetur, quod hanc vix primo a limine ſalutaverat. Quod teneret ac perſequeretur partem illam, quae ad vivendi rationem pertinet, non adeo admiratione dignum puto, ut in hoc laudando multus eſſe velim. Laudaverim libentius interpretationem, quam Italicis verſibus fecit Threnorum Jeremiae Prophetae, quae adeo accepta fuit Clementi XI. ut typis impreſſam diſtribui juſſerit Cardinalibus, illis majoris hebdomadae ſolemnibus diebus. Ajebat enim exiſtimator ille doctus & intelligens nihil fieri potuiſſe perfectius ad commovendos animos, & ad lamenta atque lacrimas exciendas. Haec perfecta a ſe fuiſſe gaudebat Menzinius eo tempore, quo valetudine non bona utebatur, cujus cauſſa cum in Tuſculanum veniſſet, ad ſublevanda valetudinis incommoda *Academiam Tuſculanam* ſcribendam ſuſcepit. Imitatus eſt Sannazarium, qui juvenis *Arcadiam* ediderat, dans ſermonem paſtoribus, qui ſaepe ſe ad recitanda carmina laceſſunt. Multa igitur in hoc pa-

floridio opere ſparſit carmina Menzinius, ſed eorum pleraque jam lucem adſpexerant; & quos tribuit ſermones aut Euganio, quod ipſe ab Arcadum Academia obtinuerat nomen, aut Ariſteo, aut Licidae, aut Nearco, aut denique, ut de ceteris ſileam, Eumolpo, habent quidem non parum elegantiae & ſententiarum, ſed aegre iis aures ſecundo dederis. Satis mihi videbor de Menzinii ſcriptis dixiſſe, ſi illud unum addidero, vehementer ipſum concupiviſſe ex eo preſertim tempore, quo cooptatus eſt in Florentinam Academiam Furfureorum, penes quam arbitrium eſſe videtur & jus & norma recte ſcribendi, ut ſua carmina a conditoribus Etruſci lexici nominatim citarentur. Sed ſapientiſſimi Academici

Grandia quos magni formidant carmina Taſſi,
Carmina divino proxima Virgilio,

quamvis laudem elegantiſſimi ſcriptoris facile Menzinio tribuerent, non hunc tamen ſic ditaſſe patrium ſermonem judicarunt, ut ejus voluntati mos eſſet gerendus. Adſcitae po-

ſtea ab Academicis fuerunt ejus ſatyrae, quod in iis multa ſint verba dicendique modi, qui poſtquam vetuſtate pene interierant, auctore Menzinio, iterum nati florere ac vigere videbantur. Nemo vero ignorat ſatyrarum ſcriptorem non dominantia ſolum verba uſurpare debere, ſed etiam interdum inuſitata, aut parce detorta. Demum cum anno MDCCXXXI. quarto editum fuiſſet Etruſcum lexicon, omnia Menzinii carmina eam auctoritatem obtinuerunt, quae eſſet aureae aetatis ſcriptorum. Quis vero non accuſabit arrogantiam hominis, qui malum minitari viſus eſt ſuis civibus, niſi ab iis, quod concupierat, obtinuiſſet? *Noli aculeos orationis meae*, ſcribebat hac de re ad amicum, *qui reconditi ſunt*, *excuſſos arbitrati*. Porro magnus animus in homine nec perfecto nec ſapiente ferventior plerumque eſt, & facit φιλαυτία non amantem ſuorum, ferocem etiam, arrogantem atque infeſtum (1). *Moriar ſi praeter te* (affirmabat ei ali-

(1) Haec ad amicum ſcripſit. *In quanto agli Accademici io credo che avranno tanto lume da conoſcere che un poeta della loro patria, quando è buono, deb-*

quando Creſcimbenius vel ad leniendum animum vel ad ſolandum dolorem ejuſdem *quemquam reliquum habeo, in quo poſſim imaginem perfecti poetae agnoſcere. Nullum eſt poeſis genus quod a te non ſic tentatum fuerit, ut qui tua ſcripta intueatur, tanquam exemplar optimi non poſſit intueri*. Quo praeconio laetus nihil non concedebat Menzinius poſtulationibus Creſcimbenii, cujus omnes curae dignitatem, gloriam & famam Arcadum coetus,

ha andare inanzi a quegli ſtranieri proſatori, che e' citano, tanto quanto un nobil poeta è di lunga mano anteriore ad ogni proſatico nelle eloquenti ſue forme e nella invenzione. Che ſe eglino han laſciato di citare quei due di Lombardia (Maggi e Lemene) *io al certo non ſon loro, e ſe queſta giuſtizia non me la fa il ſecolo preſente*, ſe ſpirto al ver preſago il cuor m' accende, *me la farà l' avvenire*. Ep. dat. Romae prid. Kal. April. 1691. Paullo poſt haec quoque ſcripſit. *Io ho detto e dico che non mi curo nè punto nè poco nè di eſſer citato nel vocabolario, nè di eſſer nel numero degli Academici. Onde non occorre faticarvſi. Io ho detto che non facendo codeſtoro l' onor che dovrebbero ai buoni Scrittori della lor patria, mi pajono gentiluomini aſſai aſſai villani: nè io ho biſogno del lor preſidio per mantenimento e del mio nome e della mia fama. E quando io voleſſi riſentirmi, ho l' unghie tanto lunghe da metter loro paura più che ſe vedeſſero l' ipogriffo &c.*

tus, cui praeerat, ſpectare videbantur. Sed homini, quem tantopere gloria titillaverat, coepit haec ſordere, cum ab hydrope, qui ſiccus dicitur, ad mortem ſe rapi videret. Non communia hoc praeſertim tempore dedit conſtantiae & pietatis ſigna, neque tum quoque ſuas ſilere Muſas ſivit, harum voces non injucundas fore ſperans Deo, quem ſibi placabilem & aequum exoptabat (1). Obiit Romae VII. Id. Sept. an. MDCCIV., ſepultuſque fuit ad S. Angeli in Piſcina cum hac inſcriptione:

BENEDICTUS MENZINIUS
FLORENTINUS
HUJUS ECCLESIAE CANONICUS
POETA ET ORATOR
OB. SEPT. ID. SEPTEMB.
AN. REP. SAL. MDCCIV.

Nudus nummis & agris libros ſuos Philippo Leerſio, ſcripta vero ſua Franciſco Tegliae

(1) Vid. Vol. IV. ejus carminum p. 35. quo in loco extat ode, quam morbo oppreſſus condidit, vel potius fudit. Hujus eſt initium:
Mio Gesù, mio Signor, vedi il meſchino.

teſtamento legavit. Utrumque enim maximis amicitiae vinculis conjunctum ſemper habuerat. Viſus eſt Leerſius aliquid addidiſſe famae Menzinii ſuis carminibus, & illo praeſertim epigrammate, cujus initium;

Quando la giovanetta d' Oriente:

Nihil vero non egit Teglia ut omnia Menzinii ſcripta, & vel ea quibus facile caruiſſemus, ſimul collecta typis imprimerentur, doluitque ſe invenire non potuiſſe neque Latinam ſatyram, quam Menzinius condiderat ad diluendam opinionem eorum, qui ex officina ſua Sectani ſatyras prodiiſſe dictitabant, neque paſtoritias Eclogas, quarum autographon Redio conceſſerat, neque alia hujuſmodi pauca, quorum jacturam dolere quoque debent ceteri omnes poeſis amatores. Quae vero praefatus eſt Teglia pietatem magis ſuam in mortuum, quam rectum judicium oſtendunt, cum effuſus fuerit in omni eo, quod ſuffragari poſſe Menzinii laudi exiſtimavit. Nos quidem parciores erimus, & cum homines doctos in illud con-

ſenſiſſe elogium dixerimus, in principibus Italicis poetis numerandum Menzinium, neminemque fortaſſe extitiſſe, qui varia adeo poeſis genera, atque ille, tractare potuerit, ſatis illius faviſſe laudi arbitrabimur.

OPERA EDITA

Quatuor in Tomos diſtributa

Tom. I. *Poeſie liriche, lib. XII.*

Tom. II. *Poeſie varie, cioè l' Etopedia, ovvero Iſtituzione Morale, lib. IV.: il Paradiſo terreſtre lib. III.: Arte poetica lib. V.: Elegie XVII.: Trenodie di Geremia Profeta IX.* Extremo in libro extant quae Laurentius Bellinius cecinit ad celebrandas laudes Menzinii.

Tom. III. *Proſe volgari, cioè Lezione Accademica recitata nell' Arcadia di Roma: Lezione paſtorale agli Arcadi: Diſcorſo Accademico della Bellezza recitato nell' Accademia di Criſtina Regina di Svezia: Prego alla Croce: Diſcorſo nel quale ſi prova che le lettere devono eſſere congiunte alle morali diſcipline: Declamazioni II. contro de' giuocatori: il Miſantropo: l' Accademia Tuſculana: della coſtruzione irregolare della lingua Toſcana: e le lettere ad Uomini illuſtri.*

Tom. IV. Latine ſcripta tum verſibus tum ſoluta oratione: *Oratio de morum philoſophia litterarum*

ſtudiis adjungenda: *Oratio ad S. R. E. Cardinales pro eligendo Pontifice Conclave ingreſſuros*: *Oratio cum libros Ariſtotelis de arte Rhetorica eſſet explicaturus*: *Oratio cum duos juvenes juriſconſultorum laurea Romae inſigniret*: *Oratio in funere Leonis* X.: *Calumnia vindicata pro ſe ipſo*: *Opuſcula de poeſis innocentia, de litteratorum hominum invidia, & de inani gloriae ſtudio*: *Latinae epiſtolae*: *Latina carmina*. Claudunt volumen quae Joſeph Paoluccius ſcripſit de vita Menzinii, & quae Joſephus Blanchinius exaravit in diſputatione & dialogo, cum orta controverſia fuiſſet, an Menzinio Alexander Guidius in lyrica poeſi praeferendus eſſet. Multis enim argumentis ſe probare poſſe putat penes illum principatum eſſe.

Satire.

VINCENTIUS A FILICAJA.

Vincentius a Filicaja Florentinus. Huic homini vix ſimilem invenies tum bonitate morum, quos neque deſidia, neque luxuria unquam vitiarunt, tum praeſtantia in poeſi, cui perparum officit mala, quae tum vigebat undique, ſcribendi conſuetudo. Natus eſt enim an. MDCXLII. III. Kal. Decembris, quae tempora mitioribus litteris tenebricoſiſſima & prope fatalia ſcimus fuiſſe; tantus erat error, & offuſa caligo illorum animis, qui aliquod cum Muſis commercium habere cupiebant. Bimulus matrem Catharinam Spiniam amiſit, feminam, quae de nobilitate cum nobiliſſimis Florentinorum familiis, inter quas Filicaja numeratur, poterat ſane contendere. Puer a Jeſuitis didicit quae diſci tum poterant. Apud eos ſe dilutius potaſſe dicebat; expleviſſe vero quaſi diuturnam ſitim, cum ad Academiam Piſanam veniſſet, quo in loco & Latinis litteris & philoſophiae & rerum divinarum doctrinae & juriſprudentiae, quae diſcipli-

na, ut pote quaeſtuoſa, ei praeſertim a patre fuerat deſtinata, operam dedit. Raro tum domo prodibat, niſi ſtudiorum & religionis cauſſa, quam impenſiſſime tota vita coluit, & mirari, vel potius dolere eos videbatur, qui hominem in ſolitudine, quaſi haec omnem voluptatum fructum auferat, beatum eſſe poſſe negabant. Erant illi oblectamenta & ſolatia majorum ſtudiorum poeticae exercitationes, per quas brevi ad hominum famam pervenit; & quoniam arte valebat in legendis verbis beneſonantibus, etiam eos delectabat, qui turgidum & inflatum dicendi genus ſequebantur. Nunquam ille plus ſolatii a Muſis accepit, quam dum nobiliſſimae & caſtiſſimae puellae, quae prope ejus domum habitabat, amore ſane improbo captus eſt. Canebat ſaepe amatoria, quo uno levari ſibi videbatur: poſtea cum e vivis illa jam nupta erepta fuiſſet, cum gemitu & lamentatione fundebat carmina, quae Orcum commovere potuiſſent. Animi plaga, quam nec diuturnitate vaneſcere, nec ullis amnibus elui poſſe putabat, tandem, ut fit, evanuit, tantaque vis fuit poe-

nitendi, ut flammis tradiderit, quae condiderat, amatoria, ſeque ſacramento obligaverit non canendi Muſis niſi ſacra & heroica. Quod & fecit. Imitari prophetas, quin immo prophetico ſpiritu totus accendi atque animari videbatur, cum de rebus divinis diceret. Servabat ad extremum uſque carminis magniloquentiam omnino ſingularem; ferebaturque huc illuc, tanquam plenus Deo, potuitque efficere, ut nihil majus meliusque ejus lyricis carminibus conditum fuiſſe exiſtimatores docti & intelligentes judicaverint. Porro quid nobilius & grandius excogitari poteſt iis odis, quas confecit, cum Vindobona dira Turcarum obſidione liberata eſt? Videberis tibi, cum eas legeris, in aciem dimicationemque veniſſe, & cum potenti Deo, ſine cujus numine nulla ſunt arma hominumque conſilia, audenter loqui, & id quod cupis, exigere magis quam petere aut contendere. Decuit quoque ſeparatim conſecrari Muſis nomina & geſta eorum, quorum virtus in bello enituit, nec miraberis magis aut Joannem Poloniae Regem, aut Carolum V. Lotharingiae Du-

cem Barbarorum agmina vaſto diruentes impetu ſine clade victores, aut Leopoldum, qui copias & ſuos praebens Divos, & vota ad caelum aſſidue fundens, belli ſecundos reddidit exitus, quam artem poetae, qui potentior vel ipſis ſtrenuiſſimis ducibûs videtur, dum fervet, & *immenſus ruit*, ut ajebat poeta ille, *ore profundo* novis ſuorum heroum tempora vincturus coronis. Sunt qui putant eſſe in his carminibus pauca quaedam, in quibus nimis ingenium emicat; & ſane in omni re lyrica indignamur non modo ſi quid ſit humile aut inlepidum, ſed etiam ſi quid ſit nimium attenuatum, quod omnia inſtinctu, inflatuque divino fuſa apparere debeant. Verum ego minime paucis offendar maculis, praeſertim cum aliquid dandum ſit ipſi, in quo poeta vivebat, ſaeculo. Iſte *vates magnorum maximus Regum* cecinit quoque laudes Chriſtinae Svecorum Reginae, cui nihil magis laetabile in orbitate Regni videri ſolebat, quam celebrari a magni nominis poetis. Praeter ceteras enim φίλαυτη & erat & habebatur. Sed quem non titillaſſet ode illa Filicajae, cujus initium; *Alta*

Reina, *i cui gran fatti egregj*, in qua tanta eſt copia ornatiſſimorum verborum ac ſententiarum, tam belle multae & variae res inter ſe junctae, adeoque ab initio uſque ad imum ſervata vis, magniloquentia, omneque id quod ad ſublime pertinet, ut nunquam melius & ornatius virtutem celebratam fuiſſe facile affirmes? Nec verebatur Filicaja ne ſua praedicatio non grata potius quam blanda videretur, poſtquam magnis coepit Reginae obſtringi beneficiis. Litteras ab ea frequenter accipiebat amoris pleniſſimas, & hoc praeſertim illa ſe gloriari dicebat, quod quae optima erant deguſtaret, atque ſciret Filicajae meritas tribuere laudes, cum ei primas in lyrica poeſi deferret (1). Hunc quoque, quamvis abſentem, privatae ſuae Academiae adſcriptum voluit; ſaepe ad ſe invitavit; auctumque filiis (nam anno MDCLXXII. Annam Capponiam uxorem du-

(1) *Io mi pregerò che ſi dica un dì: Criſtina benchè ſtraniera leſſe e guſtò le opere del gran Filicaja.* Vid. ejuſdem Reginae epiſtolas quaſdam, quas Thomas Bonaventurius retulit in commentarium Italicum de vita Filicajae. Legenda etiam Latina ode ejuſdem Filicajae, cujus initium: *Regum maxima grandioreque regno &c.*

xerat) hos in liberorum ſuorum loco ſe habituram ſancte pollicita eſt. Atque illa, quae poſtea geſſit ad fidem ſuam ſolvendam, omnibus occulta eſſe voluit, quae quidem & alia hujuſmodi, & domeſticarum ſollicitudinum aculeos omnes & ſcrupulos innuit Filicaja iis in nobiliſſimis carminibus, quae *ſacrificia* inſcripſit; nec fateri ipſe dubitabat, quoties liberos ipſos, quoties conjugem, quoties domum videret, toties ſe beneficia Reginae videre. Ipſe vero animo recogitans haec aliaque bona, & magnam, qua fruebatur, famam ſibi a poeſi dimanare, in hac excolenda ſibi magis magiſque elaborandum eſſe putavit, ita tamen, ut quid quid conderet, id totum eſſe a Deo, quo praeſertim ex fonte (1), minime vero ex obſcuriore aliqua ſcientia, neque ex mythologiae fabulis promenda atque ſumenda nobiliſſimorum carminum argumenta eſſe dicebat. Hoſce religioſi animi ſenſus praeſer-

(1) *Non io l' Aſcreo,*
Che già la ſete giovanil m' acceſe,
Torbido fonte beo,
Ma Clio la croce, e mio Parnaſo è il monte,
Quel monte in cui la grand' Oſtia cadeo.

tim expoſuit in ode illa, cujus initium: *Padre del Ciel che il gemino Emisfero*: in qua licet eluceat magna copia nobiliſſimarum ſententiarum cum elatione atque altitudine orationis, non meditata tamen, ſed coacta dicere Poeta videtur. Deploravit autem eos, qui genus invehunt injuſtae ſervitutis, cum poeſim famulari cogunt amatoriis ineptiis; & cum ipſam poeſim lamentantem induxiſſet priſtinas calamitates ſuas, atque impia deteſtantem ſaecula, gratulari aetati ſuae videtur, quod factum Chriſtinae Svecorum Reginae opera fuerit, ut Italicae fidicines lyrae toti eſſent aut in divinis hymnis aut in Heroum laudibus canendis. Atque hujus carminis eo libentius mentionem feci (1) quod in eo inſit vera ſublimitas, magnificentia & nitor, & quod ex eo maxime intelligi poſſit noviſſe Filicajam artem diſtribuendi ornamenta, moderandique ſibi ipſi in maxima copia imaginum, memor ſententiae Apellis, qui pictores eos, ut eſt apud Tullium, aberrare

(1) Incipit illud:

Nel più alto ſilenzio, allorchè amico
Sonno col dolce ventilar dell' ale,

dicebat, qui non ſentiret quid eſſet ſatis. Dicenti vero de poeſis fortuna, viciſſitudinibuſque opportuna occaſio videri poterat, ut eſt in more poſitum poetis, ſuas quoque laudes praedicandi; ſed cave putes hominem fuiſſe modeſtiorem Filicaja, qui ita ſolebat ad ſcribendum accedere, ut aliquid tentaret magis, quam perficeret. Quanquam minime ei opus erat mentem concalefacere, imitarique eos, qui primas haſtas ita leniter jactare ſolent, ut & venuſtati ſerviant, & reliquis viribus conſulant. Continuo videbatur ſe univerſum profundere; & cum plane ipſum ſatisfeciſſe argumento, & inopem & exhauſtam jam factam fuiſſe poetae pharetram exiſtimaſſes, novis iiſque validioribus ipſa pollebat armis, non extrinſecus quaeſitis, ſed ex ipſis rerum viſceribus depromptis. Quare minime eſt mirandum ſi a ſapientiſſimis judicibus lyricae poeſis principatus ei datus fuerit (1). Neque minus feliciter

(1) Ex multis unam Redii epiſtolam exſcribere libebit. *E' già qualche tempo che nell' interno più ſegreto del mio cuore ho ſempre meditato di dare una tacita ſentenza intorno al primato de' poeti lirici Toſcani del*

ipſe expertus eſt quid poſſet in minoribus carminibus, & quaedam hujus generis reliquit, quae memoriter ab omnibus Muſarum cultoribus recitari ſolent. Nemo vero ignorat quantae difficultatis ſit aliquid in hoc genere condere, quod perfectum expletumque ſit omnibus ſuis partibus, quod iis ſatisfaciendum ſit, qui cum gaudeant perfecto completoque verborum ambitu, vim eti-

noſtro corrente ſecolo: ma non ſon mai venuto all' opera, ancorchè potentiſſimi ed incontraſtabili motivi aveſſi di farlo a ſavore di un Cav. mio riveritiſſimo padrone ed amico. Veramente non l' ho mai fatto, perchè uno ſcrupolo ſuperſtizioſo di amore m' ingombrava tal volta l' animo con certo apparente dubbio di giudice amoroſo ed appaſſionato, e per conſeguenza abile a commettere qualche involontaria ingiuſtizia. Ma jeri dopo aver letta più volte la Canzone di V. S. Illuſtriſſima per la beata Umiliana de' Cerchi, ſvanitami ogni ſuperſtizione di ſcrupolo, non ſolamente pronunziai la ſentenza nel ſegreto del cuore, ma la paleſai altamente in preſenza di numeroſo popolo, e volli che ne foſſe preſa una giuridica teſtimonianza da molti valent' uomini, tra' quali numererò ſolamente il Sig. Conte Lorenzo Magalotti, ed il Sig. Priore Luigi Rucellai, che per fortuna ſi trovarono preſenti nel ſolito tribunale della mia caſa. La ſentenza è data e data con giuſtizia, nè m' importa ſe qualche ſpirito di contraddizione vorrà ſgridarmi con dire:

am gravitatemque ſententiarum deſiderant; & qui ex poeta exigunt, ut brevi quatuordecim hendecaſyllaborum circuitu multa comprehendat, quae nulla ex parte claudicent, & quae non ſolum apte, ſed etiam perſpicue & eleganter juncta ſint, perinde ac ſi ſponte fluerent, & quae demum non voluptate ſolum, ſed etiam admiratione quadam audientium animos perfundant. Quapropter multorum poetarum voluminibus anteposue-

Or tu chi ſe' che vuoi ſedere a ſcranna,
Per giudicar da lungi mille miglia
Con la veduta corta d' una ſpanna?

perchè non ne farò conto, e ſe vorrà ſapere i motivi, gli darò molto volentieri. Mi rallegro dunque con V. S. della bella canzone, e ſupplico la ſua modeſtia a non isdegnarſi meco, ſe invece della critica impoſtami io gli mando una giuſtiſſima favorevole ſentenza. Haec Redius epiſtola data VIII. Kal. Sext. MDCLXXXVI. Vel antea Redius cum legiſſet quae Filicaja cecinerat de Leopoldo Caeſare, deque aliis heroibus, qui Viennam a Turcarum obſidione liberarunt, haec ſcripſerat: *che nell' artifizio, nella nobiltà e nell' altezza giudizioſiſſima delle ſue canzoni V. S. Illuſtriſſima è ſuperiore*

τοῖς, οἳ νῦν γεγάασι, καὶ οἳ μετ' ὄπισθεν ἔσονται.

rim illa Filicajae epigrammata, quae veluti laetiſſimos flores cineri conſecrat amitae cariſſimae Camillae Filicajae (1); aut illa, quibus lamentatur ſortem Italiae, quod in ea acerbiſſima & continua bella verſarentur, ipſamque a deſidia & languore ad induſtriam virtutemque avocat (2); aut ea, quibus miras divinae Providentiae artes celebrat (3) & ex aliorum calamitatibus nos iram Dei timere docet (4); aut illa demum (innnitum enim eſſet ſingula commemorare) quibus omnes ad virtutis amorem, ac praeclara mortuorum exempla imitanda, ſeque ipſum ad retinendam perſeverantiam in bonis atque conſtantiam in adverſis excitabat. Raro enim proſpero fortunae flatu uſus eſt. Siqui-

(1) Eſt quaedam veluti catena novem epigrammatum, quae ſic juncta poema propriae cujuſdam naturae efficiunt. Viſus eſt Bellinius, cum laudes caneret Benedicti Menzinii, hunc morem induxiſſe: nam qui ante eum floruere poetae ad ſummum bina, & quidem raro, jungebant epigrammata.

(2) *Italia, Italia, o tu cui feo la ſorte &c.*
Dov' è Italia il tuo braccio? A che ti ſervi &c.

(3) *Qual madre i figli con pietoſo affetto &c.*

(4) *Quì pur foſte, o Città, né in voi più reſta &c.*

dem gravi & periculoſo morbo ſemel iterumque affectus eſt, filium magnae ſpei, qui Magno Duci erat ab ephoebis, amiſit; premebatur anguſtiis rei familiaris, & jure dolebat ſpes omnes illas, quas in liberalitate Chriſtinae Svecorum Reginae (obierat enim illa an. MDCLXXXIX.) poſuerat, omnino evanuiſſe. Actum a Paullo Falconerio, quo neminem cariorem habebat, de addicendo Filicaja Roſpillioſorum familiae. Sed cum conditiones non conveniſſent, neque libenter ipſe educationis taedium laboremque ſuſciperet, excogitavit tandem Coſmus III. quemadmodum calamitatem ejuſdem non modo levaret, ſed etiam honeſtaret. Delatam itaque Volaterrarum Praeturam Vincentius ſic accepit, ut de aliorum utilitatibus & commodis unice ſibi eſſet excogitandum. Quare non rugis ſuperciliòque quemquam terrebat, ſed clementia, manſuetudine, facilitate humanitateque omnino ſingulari omnes ad ſe amandum cogebat, ut nihil tam populare, quam ejus nomen, nihil tam omnibus carum, quam ejus auctoritas videretur. Non injucundum fore lectoribus puto, ſi hoc loco exſcri-

exſcripſero, quae Filicaja ipſe de ſua Volaterrana Praetura ad Franciſcum Montanium ſcripſit, ex quibus etiam intelligi poterit hominem religioſiſſimum, ſi auctus honoribus, aut re familiari fuit, aut ſi aliud quidpiam nactus eſt boni, aut malum depulit, tum Deo gratias ſe agere, tum nihil ſuae laudi aſſumptum arbitrari.

Me Praetore, quater gelidi rediere Decembres,
Quaterque ariſta floruit.
Quid, Montane, actum? dices; magna, aedepol, egi.
Magna, hercle, nec pauca admodum,
Quaeque operae pretium ſit dicere. Redditus urbi eſt
Diu negatus Hiſtrio;
Biſque novem clauſae, populo indignante, per annos
Jam comicae patent fores:
Sublati anfractus paſſim, ſalebraeque viarum
Hinc ſaxo & hinc laterculo;
Defenſae leges: odia interciſa: diremptae
Lites perantiquae & graves:
Indictum ſceleri bellum: meretricia labes
Abſterſa: difficillimis
Nec non temporibus ſervata annona. Quid ultra?
Non orphano, non virgini,

Praeſidium viduae non defuit, & mihi tota
Nox una quadriennio
Extra urbem haud ſane tranſacta; data inde Latinae
Sunt ſubciſiva tempora
Etruſcaeque lyrae non nunquam. Nec plura forſan
Egiſſe me non abnuo.
Egi autem? Sim ſtulte audax, niſi cetera dicam.
Egi haec, Deo ſed auſpice
Atque auctore Deo. Fruſtra vigilo ipſe, vigil ni
Urbem Deus cuſtodiat.

Dum ſtudio, amore, animo nulli deeſſe ſatagebat Filicaja, requiem curarum animique oblectationem in Latina praeſertim poeſi conquirebat. Erant vero nonnulli qui perdere operam ipſum dictitarent, cum ejuſdem Latina carmina cum Etruſcis compararent. Facilis quidem & expeditus erat ad illa condenda; veterum ſcriptorum erat litterate peritus, adeoque callebat Latii linguam, ut vel res difficillimas, cujuſmodi ſunt quae ad *mugarinum*, tum florum rariſſimum, de quo rogatu Laurentii Magalotii plura ſcripſit carmina, ad paſſerum venationem (1), ad ala-

(1) De hoc carmine ita Regnierius Gallorum elegan-

baſtrorum ſculpturas, ad ſalis, ceterarumque hujuſmodi artium, quibus Volaterrae florent, fabricam pertinent, ſatis feliciter exponere poſſet. Nihilo tamen minus color quidam urbanitatis & ſuccus, qualem in omnibus ferme ſaeculi XVI. poetis admiramur, & in noſtrae etiam aetatis nonnullis, inter quos honoris cauſſa nomino Zanottum & Vulpium, Latinis Filicajae carminibus deeſſe mihi videtur, ut propterea non admodum doleam pleraque eorum, quae condidit, quaeque ſingulari ejus haeredum humanitate diu

tiſſimus ad Magalotium ſcripſit.

Oh che nuova, oh che bella, oh che galante coſa il componimento del Sig. Sen. da Filicaja ſopra la caccia de' paſſeri! E dove mai ha trovato egli il modo d'accomodargli così bene al guſto di chiunque abbia un po' di guſto, cui mens ſapiat & palatum? *Certo, ch' egli è un gran maeſtro di dire e di condire*, arbiter dicendi & caenandi. *Oh perchè egli non dà alle ſtampe le ſue compoſizioni latine, così gravi e ſode dove biſogna, così galanti e delicate, ove la materia lo ricerchi, e così belle e ingegnoſe da per tutto? Diale fuori, quando non foſſe per altro che per dar' a divedere*

Che l' antico Latino
Negl' Italici cuor non è ancor morto.

in manibus habere mihi contigit, adhuc in tenebris latere. Non eſt tamen celandum, ut eſt locupletiſſimus teſtis Magalotius ipſe, in Britannia plurimum celebratum fuiſſe Filicajae nomen ob illius Latina carmina, quae ſtudioſe colligebat Henricus Newtonus Britannorum ad Coſmum III. Legatus, ut civibus ſuis eorum exemplaria mitteret. Hujuſmodi vero munera eo gratiora accidebant, quod ſaepius Filicaja ad nobiliſſimos Britannorum celebrandos Latinas Muſas invitavit, & quae de Sommerſio ſcripſit (1) non po-

(1) *Perché impariate a ſtimar l' Inghilterra, ſappiate che per due ſole ode comparſevi di voſtro, il concetto dell' Autore vi è divenuto sì grande, che Mylord Sommer ſcrive all' Inviato che non c' é coſa che ei non deſſe per potere averle tutte. Gli ho detto che tutte ſono di molte, ma che ſe gliene potrà mandare anche qualcheduna di più di quelle che ſi ſono date a lui. Il buono Inviato s' è meſſo a durar la fatica, che vedrete nell' aggiunto foglio di ſua mano. Mandatemi quelle che vi par d' aggiugnere, che ſi copieranno con tutte queſt' altre. Il noſtro Gori aveva già due volte fatto il poſſibile per farmi ſcadere la voſtra ode Paolina con mettermela in cielo Empireo, e una fra l' altre jermattina ſulla porta di S. Felicita. Con tuttociò biſogna che io vi dica, che nel leggerla mi ſono più volte avuto a ſcandalizzare del Gori, che non me ne aveſſe*

terant non eſſe acceptiſſima populo, propriorum meritorum laudatori ſuperbo. Miror autem Filicajam eo tempore, quo hujuſmodi ſcriptionibus operam dabat, vel putidius, vel invitius (nolo enim dicere de tam ſuavi homine faſtidioſius) ad Etruſcas Muſas acceſſiſſe. Quod nonnulli tribuebant eorum, quae antea concinnaverat, carminum praeſtantiae, quaſi hanc ſeneſcens aequare ſe poſſe deſperaret: affirmabant alii perſuaſum eſſe poetae majorem ſe poſſe ex Latinis carminibus laudem colligere, quaſi eorum nitore atque ſplendore omnium ocu-

V 3

detto più aſſai, e che nel dirmene non aveſſe accompagnato le parole con ſcagliamenti di vita, con buttare in terra il cappello, e talvolta con beſtemmiare. Oh che gran coſa, oh che gran coſa, oh che grandiſſima coſa! Grande per l' invenzione, grande pe' penſieri, mirabile per l' unità, ſpaventoſa per l' eſpreſſioni.

La prima volta che l' ho letta, penſavo per accreditarmivi di notarvene qualcheduna. Ma poter del mondo biſognava copiarla tutta. Ma che coſa mai, per l' amor di Dio, è quella di conſiderare le figure di Cimabue, e poi quelle di Tiziano e del Rubens con quella po' d' applicazione. Siete un vero Diavolo ſempre, ma in Latino, il Lippi darebbe il ſua voto a Plutone, che doveſſe farvi Diavolo a dua code.

los perſtringeret; ipſe vero ajebat Italicas Muſas (1), quae ſibi in virili aetate propitiae fuerant, pene averſari hominem ſeneſcentem, & multis valetudinis incommodis affectum.

Viſcerum e ſtagno mihi dira ſurgit
Aura, caelo praecipitat dies cum
Functa, majoreſque cadunt ab altis
Montibus umbrae.

(1) Poſtremum fortaſſe Italorum carminum, quae condidit Filicaja, hoc loco referre libebit, & quod ſit, meo judicio, elegantiſſimum, quodque pietatem viri religioſiſſimi redoleat, quodque ſit ineditum.

Già già la riva afferro, e la tenace
De' miei ſaldi deſiri ancora io getto,
Nè più mi turba il tempeſtoſo aſpetto
D'un mar ch' ha guerre vere e finta pace.
Nè di vane ſperanze aura fallace
Più mi luſinga, e nel cangiato petto
Altra ſpeme ſi deſta, ed altro affetto
Che ubbidiente alla ragion ſoggiace.
Onde ſuor di periglio, a quel crudele
Mar mi rivolgo, ov' io rimaſi aſſorto,
E 'n cui tanti verſai pianti e querele,
E dico a' miei penſier, chi quà v' ha ſcorto?
Calate omai le combattute vele,
E quì ſciogliete i voti, è queſto il porto.

Aegritudo hinc & dolor & gravedo,
Inquies nec non rigida, ille ſe ſe
Dum levat flatus, regionem & omnem
Pectoris implet.
Vibro non acres ego tum jambos,
Immo habet plectrum paries, habentque
Triſte Muſae juſtitium & canendi
Nulla facultas.
Jamque me denus cruciat November,
Et medelis & medica arte tota
Jam fere abſumpta mihi ſpes miſello
Haud ſuper ulla eſt.

Hactenus de Filicajae carminibus. Si cui vero aut perquam breviter, aut impolite ejus laudes perſtrinxiſſe videbor, illum delegabo ad Euſtachii Manfredii carmen (1), quo ſic celebravit ſummi poetae merita, ut magni & perſapientis hominis judicium non mediocriter eruditi aſſentationem illud exiſtimare debeamus. Haud autem puto commemoranda, quae ſoluta oratione ſcripſit Filicaja, quod quae mediocria ſunt vix locum habere

V 4

(1) Hujus initium: *Verdi, molli, e freſch' erbe &c.*

debeant in laudatione hominis, qui Muſas adeo amicas expertus eſt, ut per eum maxime Itali non multum aut nihil omnino Graecis in lyrica poeſi concedant. Nec minus illa laudanda ſunt in Filicaja, quae a virtute proficiſcuntur.. Quanta in eo comitas, quanta jucunditas, quam mollis animus ad deponendam omnem offenſionem, quam fortis in adverſis fortunae caſibus ferendis! Quam idoneus ad conjungendas amicitias! Quanta caritas non modo liberorum, conjugis, ceterorumque ſibi ſanguine conjunctorum, ſed etiam univerſorum hominum! Saepe miſeros ſic levavit, ut eorum calamitatis non ſolum adjutor, verum etiam ſocius videretur. Nihil dicebat, nihil faciebat, nihil cogitabat denique niſi conſiderate, cumque omnia ejus conſilia reſque omnes, quas gerebat, a Deo proficiſcerentur, eodemque referrentur, imaginem antiquitatis in eo dixiſſes intueri. Quas vero curas, quas vigilias, quae conſilia, quod juſtitiae ſtudium ad rerum publicarum adminiſtrationem afferebat! Sunt qui narrant in rebus politicis eum non ſatis fuiſſe pru-

ſtentem, nec ſatis peracutum ad mala praevidenda, hominesque noſcendos. Quod ſi reliquero incertum, illud omni aſſeveratione affirmabo neminem illo fuiſſe integriorem atque caſtiorem, neminemque cupidiorem ſuis officiis atque reipublicae ſatisfaciendi. Quare minime eſt mirandum, ſi Volaterrani maximis precibus a Coſmo III. poſtularunt de retinendo homine, quem juxta ac parentem diligebant atque venerabantur. Prorogata illi quidem fuit Praetura, ſed hanc anno MDCC. cum Piſana commutavit. Biennio Piſis fuit, ex qua urbe Florentiam rediit auctus munere ſane ampliſſimo, quod ad continendos in officio ipſos urbium atque oppidorum praefectos inſtitutum eſſe videtur; quam rem praeter voluntatem atque opinionem ſibi accidiſse dicebat. Cum ſatis otii in patria nactus eſſet, de perpoliendis edendiſque ſuis Italicis carminibus (qua in re non tam ſuo, quam prudentiſſimorum hominum judicio uti ſolebat) cogitationem ſuſcepit, & eorum quidem impreſſionem inchoaverat, cum pleuritide correptus diem obiit ſupremum. Vel mortuus vivere videba-

tur; tantus illum honos, memoria, deſiderium proſecutus eſt amicorum. Denique haec in familiari Filicajae gentis ſacello, quod eſt in S. Petri Aede, Scipioni Vincentii filio inſcribi placuit, ut idem monumentum & paternae virtutis & ſuae pietatis poſteri haberent.

D. O. M.

Vincentio a Filicaja Senatori Florentino Senatoris Bracci filio, qui non vulgarem generis claritatem vicit ingenii laude & elegantia carminum cum Latinorum tum Etruſcorum, qua totam rempublicam literariam gloria honeſtavit. Chriſtinae Svecorum Reginae amicitia clarus. Joannis Sarmatarum Regis & Leopoldi Caeſaris Auguſti admiratione & litteris celebratus. Ingenii laudem Volaterrana Piſanaque Praetura praeclare geſta, aliiſque publicis Senatoriiſque muneribus egregie obitis, innocentia vitae, prudentia, modeſtia, religione, continentia, humanitate ſuperavit. Scipio Filius Eques Divi Stephani Parenti optimo, qui omnibus ingens deſiderium ſui reliquit, lugens & meorore afflictus poſuit.

ANGELUS FABRONIUS

ANTONIO NICOLINIO

S. P. D.

SI forte tibi videor diu multumque tenuiſſe ſuſpenſam expectationem, quam tibi dedi ſcribendae vitae Joſephi Averanii praeceptoris tui, ſatis juſta excuſatio erit, quod ita diſtentus fuerim in perficiendis edendiſque aliorum illuſtrium virorum vitis jampridem ſuſceptis, ut huic ſcriptioni minime tempus habuerim; quodque mihi Romae commoranti multa deeſſent adjumenta ad illius hominis mores, factaque penitus cognoſcenda. Non mediocri profecto dolore afficiebar, cum videretur jure a me exigi, ut opus contexerem uſui praeſertim illorum, qui parabant Urbanam editionem non ſolum Interpretationum juris, *ſed aliarum quoque rerum, quas Latine ſcripſit Averanius; verum uſque mihi temperavi, dum Florentiam venirem, ut dignum aliquid & tanto viro & expectatione hominum efficerem. Quod me conſecutum fuiſſe non auſim dicere.*

Id certe omni ſtudio, omnique diligentia curavi, cujus rei plurimos teſtes habeo, teque praeſertim, ad cujus opem ſaepe confugi. Unde enim facilius res Averanii cognoſci poſſunt quam ex te, qui ejus diſciplinae alumnus fuiſti, qui totum illud tempus, quo Piſis ſtudiorum cauſſa commoratus es, ejus jucundiſſimae convictionis fructum percepiſti, qui omnia pene cum ipſo habuiſti communia, qui vivum omni officiorum genere coluiſti, qui morienti adfuiſti, mortuum vero & laudatione & ſepulcri monumento decoraſti? Non ſemel a te audivi, tam gravi vulnere in ejus interitu perculſum te fuiſſe, ut ferme jacueris exanimatus; nunc vero recordatione praeteritae conſuetudinis ſic frui, ut beate vixiſſe tibi videaris, quia cum Averanio vixeris. Neque id immerito. Non mediocrem enim partem ex ejus laudibus exhauſiſti, atque in te transfudiſti, quod ut aſſequerere non magnopere quidem illi viro elaborandum fuit: neminem enim habebat clariorem quem tibi proponeret, quam te ipſum; te imitari, tecum ipſe certare oportere dicebat, neque licere, tanta expectatione vel a teneris annis excitata, tantiſque a natura in animo inſitis quaſi virtutum igniculis & ſeminibus, non tui ſimilem

eſſe. Sed in multis maximiſque laudibus tuis eſt praeſertim quod praedicem miram illam bonitatem facilitatemque, qua cunctis hominibus prodeſſe, cunctis ingenii tui, doctrinae, conſilii facem praeferre cupis. Quot in Etruria nominare poſſumus ſapientiae laude florentes viros, qui vel opibus, vel gratiae, quibus plurimum polles, vel monitis tuis quidquid habent, & quicumque ſint, ſe debere libentiſſime confitentur? Quot adoleſcentes, in quibus eſt indoles ad ſapientiam concipiendam, voces tuae quotidie ad Academiam Piſanam impellunt hortanturque, tui aliorumque propoſitis exemplis, de retinenda Juris prudentiae dignitate? Verendum ſane eſſet, niſi te, alioſque paucos tui ſimiles haberemus, ne in illud tenebricoſiſſimum tempus, quo nondum inventis artibus, nullam ſcientiae lucem homines adſpexerant, ſenſim relaberemur. Quid dico ſenſim? Immo praecipites revolveremur, ſi invaleret opinio inſcitiſſimorum hominum, qui non ſolum omni apparatu ornatuque denudant nobiles diſciplinas, ſed etiam funditus evertunt penituſque diſſolvunt, revulſis vinculis, quibus illae continentur, & ſine quibus artes eſſe non poſſunt. Id enim agunt inſulſi nebulones, id moliuntur, ut perſuadeant incautis ado-

leſcentibus in quacumque ferme facultate ac praeſertim Juris prudentia, illam partem, quam theoreticen appellare ſolemus, quod in ea ſita ſit principiorum cognitio, inutilem prorſus eſſe, atque idcirco in eam tantummodo, quae cum in agendo conſiſtat, practice dicitur, omni conatu ac totis viribus incumbendum. Atque hi quidem cum leges harumque fontes ignorent, ac propterea res controverſas ad ſua principia nequeant revocare; nequeant quid cuique legi ſit conſentaneum, quid conſequens acri judicio perpendere; nequeant demum diſſidentium doctorum opiniones legum trutina penſare, & ad normam veritatis dirigere, modo incerti vagantur & errant, modo cunctantur, haeſitant, dubitant, quam viam inſiſtant, & quo pedem figant ignorantes. Jampridem diſputabatur an Juris conſultus, qui divinarum humanarumque rerum notitiam profitetur, maximis diſciplinis inſtructus eſſe deberet, & omnibus prope doctrinis eruditus, ut tam gravem perſonam poſſet pro dignitate ſuſtinere; nunc eo ſocordiae & impudentiae devenimus, ut vulgo jactare & pro certo audeant homines affirmare, ne ipſis quidem perſpectis legibus, neque veteri jure delibato, poſſe quem Juris conſulti auguſtiſſimum no-

men ſibi arrogare, & magnarum obire judicia rerum, & graviſſimas dirimere controverſias. Profecto ſi praeclari Juris prudentiae antiſtites, qui totam aetatem in legibus interpretandis, inter ſe conciliandis, & ad forenſem uſum accommodandis totam aetatem vitamque contrivere, a morte ad vitam revocarentur, quo vultu, qua voce, qua gravitate circumforaneos iſtos rabulas increparent? Ideone nos puriſſimos vobis Juris prudentiae fontes recluſimus, ut vos illos perverſarum opinionum faece contaminaretis? Ideo veteres juris conditores noſtris commentariis illuſtravimus, ut vos, illis exploſis, ſemidoctos quoſdam legulejos in forum inveheretis? Ideo noſtris interpretationibus leges in clariſſima luce collocavimus, ut vos ipſis inconditas quaſdam & putidas obſcuriſſimorum hominum nugas anteferretis? Nos, expoſitis legibus, juris prudentiam fundavimus, vos iiſdem neglectis, funditus evertiſtis; nos legum imperio cuncta ſubjecimus, vos leges ipſas in veſtram ſententiam prave detortas temeritati veſtrae ſubdidiſtis; nos juſtitiam legum praeſcriptione circumſcripſimus, vos commentitia aequitate a legibus aliena penitus ſubſtuliſtis. Videbor profecto tibi optime cauſſam agere Juris prudentiae, quod

Digitized by Google

te ſim imitatus, qui ſaepe ſoles non ſolum ſenſus, ſed etiam verba in nobiliſſimae omnium facultatis dignitate defendenda ab Averanio mutuari, cujus vitam ſic accipies, ut amicitiae noſtrae monumentum, ſic leges, ut in ea imaginem tui quodammodo expreſſam intuearis. Cura ut valeas, tibique perſuade me in omni re erga te functurum officio benevolentiſſimi atque amiciſſimi, quem me tibi & fuiſſe ſemper exiſtimes velim; & futurum eſſe confidas.

Florentiae Non. Sept. MDCCLXVII.

Digitized by Google

JOSEPHUS AVERANIUS

JOſephus Averanius filius Joannis Franciſci Averanii, & Margaritae Sacchettiniae Florentiae natus eſt XIII. Kal. April. an. a Chriſto nato MDCLXII. honeſta quidem familia, cui contigit, ut tanquam in unam arborem plura genera, ſic in illam multorum eſſet inſita atque illuminata ſapientia. Nam eodem, quo diximus, patre erant geniti Benedictus & Nicolaus Averanii, quorum alter magnopere floruit eloquentia, omnique cum Graeca, tum Latina eruditione, alter Juris prudentia & mathematicis diſciplinis adeo excelluit, ut inter primos numeraretur. Fratrum vero gloriae ſic reſpondit Joſephus, qui erat natu minimus, ut utrumque fama, doctrinaque ſuperaverit. Patre uſus eſt diligente, integro & caſto, in primiſque ſtudioſo litterarum, a quo mature & ſaluberrimis praeceptis, quae ad recte pieque vivendum pertinent, & grammatica eruditus fuit. Idem a prima aetate ſpem attulit ſummi ingenii, & non vulga-

ris virtutis; grandiorque factus, cum ad Vincentium Glaream hominem S. J., qui Florentiae publice rhetoricam docebat, ductus fuiſſet, clarius explenduit, quam generoſi condiſcipuli eum aſſequi ſe poſſe ſperarent. Adjumenta quoque habuit ad litteras Graecas percipiendas ab Antonio Maria Salvinio; & brevi eo pervenit, ut ſive Italice, ſive Latine, ſive Graece ſcriberet, ejus oratio colorata ac roborata appareret continua veterum ſcriptorum lectione. Nec ſolum illa aetate in oratoria ſe exercuit, ſed etiam in poetica, maximeque Latina, ad quam eum natura formaverat. Cum jam, quantum ſatis eſſe videbatur, in hac mitiorum litterarum aquula feliciter navigaſſet Joſephus, curſum ad graviores diſciplinas direxit, ac primo ad Peripateticam philoſophiam penetravit, monſtrante viam Joanne Franciſco Vannio S. J. Ne vero apud eam diutius moraretur fecit libertatis ac veritatis amor, cui nihil tam eſſe inſenſum atque inimicum vidit, quam omnia ponere in unius hominis auctoritate. Retinuit tamen quaſdam ſententias Ariſtotelis, quas vero ſimiliores eſſe pu-

tavit; ſemperque probavit, in Juris prudentia praeſertim, uſum Ariſtoteliae diſputandi rationis, dolens hanc corruptam fuiſſe Scholaſticorum captionibus ineptiſſimiſque argutiis. Ariſtoteli longe ſuperiorem ponebat ejus magiſtrum Platonem, quem unum totius Graeciae doctiſſimum, & quaſi quemdam Deum philoſophorum fuiſſe dicebat. Itaque ejus libros, aſſidue pervolutabat, neque iis contentus, quaecumque extant veterum philoſophorum ſcripta penitus voluit cognoſcere. Memoriter etiam tenebat Epictetum & Arianum, cum plurimum tribueret Stoicis in ea parte philoſophiae, quae verſatur in virtute & moribus. Poſt autem, auctore Vincentio Viviaiio, adhibitoque doctore Joſepho de Papa, ad mathematicas diſciplinas & recentiorem philoſophiam venit; quibus in ſtudiis, quanquam eſſet in alia diſtractus, tantos proceſſus paucis annis effecit, ut tota vita in illa incubuiſſe videretur. Sed ita ſunt maxima ingenia; quamcumque ſe in partem dederint, in ea ita excellunt, ut ſi nihil unquam aliud egerint. Sic cum Piſas ſe contuliſſet ad Juris prudentiam perdiſcendam,

tam longe in hac facultate progreſſus eſt, ut ipſi doctores Franciſcus Maria Ceſſinius, Petrus Paullus Borromaeus, & Antonius Rillius eum in hoc maxime admirarentur, ponerentque principem ſtudioſorum. Habebat is quidem ad adipiſcendam juſti injuſtique ſcientiam plurima inſtrumenta, antiquitatis notitiam, philoſophiae ac praeſertim moralis cognitionem, perfectam eruditionem Graecarum & Latinarum litterarum, & judicium acre ac certum ad unamquamque rem examinandam, momentiſque ſuis ponderandam. Quam vero eſſet vigilans & induſtrius, nullum afferre majus teſtimonium poſſum, quam quod primo anno, quo Piſis fuit, ſubſecivis horis Archimedem & commentaria Eutocii Aſcalonitae in eumdem ſcriptorem e Graeco in Latinum converterit. Dignum opus hoc ſtudiis eorum, qui litteris delectantur, exiſtimavit, quod Commendinius, qui in interpretando Archimede elaboraverat, rem non abſolviſſet, quodque Rivaltus, qui eamdem confecerat, multa peccaſſet, & Eutocium minime attigiſſet. Porro, ut eſt graviſſimum Antonii Mariae Salvinii judicium, nihil fieri

perfectius poteſt interpretatione Averanii; qui etiam multa addidit atque attulit de ſuo ad explanandos illuſtrandoſque libros, qui ſunt *de ſphaera & cylindro*, *de ſpiralibus*, *de ſphaeroidibus & conoidibus & de quadratura parabolae*. Illa quidem declarant praeſtantem Auctoris ſcientiam in mathematicis facultatibus; nec minorem oſtendunt, quae ipſe non poſt multo ſcripſit de *momentis corporum gravium in planis inclinatis*, ut Galilaeum defenderet ab oppugnationibus Joannis Franciſci Vannii S. J., quem habuiſſe praeceptorem ſupra retulimus. Scriptum profecto edidiſſet Joſephus pro ſuo ſingulari ſtudio in illum Philoſophum, niſi Aegidius Franciſcus Gottigneſius doctus vir ex eadem Societate eum in hac defenſione antevertiſſet. Exaravit etiam neſcio quaedam de Apollonio Pergaeo, credo, ut ſuis luminibus obſcura multa illius mathematici illuminaret. Nimis vero longus eſſem, ſi ſingula enarrare vellem, quae in tractanda phyſica & fecit & ſcripſit. Nullum enim ferme diem abire ſinebat, quin aliquid temporis concederet conſiderationi contemplationique naturae, in

quo illius animus, praeſertim ſi aliquid occurreret, quod antea non bene cognitum, ac vero ſimile videretur, ſuaviſſima complebatur voluptate. Obſervata & notata a ſe communicabat cum ſummis viris Laurentio Bellinio & Joſepho de Papa, quorum doctrinae ſplendor omnibus quidem lucebat, ſed praeſertim Joſepho, quem in oculis ferebant. Idem ſaepe etiam a terra in caelum aſcendebat, ut curſus converſioneſque ſtellarum, reliquaque caeleſtia noſceret: neque illud ſatis mirari queo, ipſum, nullo duce, per ſe aſſequi potuiſſe Ptolemaeum inter ſidera ſpatiantem & abdituiſſima naturae arcana permeantem. Nemo enim ignorat quanta in obſcuritate rerum & verborum illius Almageſtus verſetur. Haec aliaque ſtudia minime retardabant mirificos progreſſus, quos Joſephus in Juris prudentia faciebat, neque ejus voluntatem ab illa facultate vel minimum alienabant, quin immo magis magiſque accendebant, cum ei eſſet perſuaſum, Juris conſultum, qui divinarum humanarumque rerum notitiam profitetur, maximis diſciplinis inſtructum, & omnibus prope doctrinis eru-

ditum eſſe debere. Et ſane qui reputat graviſſimum teſtimonium, quod Benedictus frater Joſepho impertivit, dum illum anno MDCLXXXIV. laurea inſigniret, facile intelligit ipſum in aetatis flore ad eam laudem perveniſſe, ut ferme dici potuerit ἐγκυ'κλοπεδικὸς Inſignia doctrinae multi etiam ſine doctrina aſſequuntur; ſed tanta praeconia ab homine intelligente, & in quo ingenuus animi candor eminebat, aſſequi ſola ſapientia poterat. In hoc litterarum curſu comitem ſe praebuit Joſepho Nicolaus frater; de cujus hominis ingenio atque induſtria multa mihi videbor praedicaſſe, ſi hoc unum dicam, nunquam haeſiſſe in fratris veſtigiis perſequendis. Poſtquam in patriam rediit Joſephus, oblata eſt ei conditio per Vincentium Vivianium (huic enim mandata res erat) tradendi mathematicas diſciplinas in Bononienſi Archigymnaſio. Non dubitabat quidem is, quin cumulatiſſime Joſephus expleturus eſſet mirificam expectationem, quam in recipiendo mandato commoverat. Verum ab ipſo minime impetrare potuit, ut conditionem, honorificentiſſimam licet, acciperet. Haec

recuſatio pergrata fuit Coſmo III. Mediceo; qui retinendum in Etruria putabat adoleſcentem, de cujus praeſtanti doctrina multa audierat a Laurentio Magalottio, Franciſco Redio, aliiſque doctis viris, quemque omnes ajebant in aetatis flore non modo uſum, ſed habitum etiam virtutis conſecutum fuiſſe. Itaque eodem ferme tempore munus ei detulit publice tradendi in Piſana Academia Inſtitutiones Juris civilis. Extant litterae ejuſdem Redii ad Donatum Roſſettum datae Piſis prid. Kal. Febr. an. MDCLXXXV. *ab Incar.* quibus ei nuntiat Joſephum in ineundo novo munere eam habuiſſe orationem, in qua excellens & plane admirabilis triumphavit eloquentia. Dolendum ſane neque hanc, neque alias, quas in illo Sapientiae domicilio habuit orationes, ſi unam excipias *de Juriſprudentia, Medicina, Theologia per ſua principia addiſcendis*, ad nos perveniſſe. Dubito an ponam in orationum numero, quas in tradendis laureis laudationes fecit, quarumque vidi ego ſeptuaginta novem apud humaniſſimum ampliſſimumque virum Gabrielem Riccardium. Illud ſine ulla dubi-

tatione ſtatuo ac judico fuiſſe in Averanio vim illam divinam, virtutemque ornate, copioſe, varieque dicendi; talemque ejus extitiſſe orationem, qualis, ut de L. Craſſo dixit Tullius, in bono aedificio firmus paries, & ſatis ſplendens. Quidquid vero docebat, mirum, quam ſine ullis ſalebris, ſine ulla aſperitate influeret in aures animoſque diſcentium, eiſque ſe non adſcita, fucifque ac pigmentis quaeſita, ſed naturali pulchritudine ac ſuavitate commendaret. Neque ſolum legum cognitione pectus auditorum ſuorum Joſephus implebat, ſed per omnem antiquitatem, omnemque philoſophiam gradiens, ipſos ad fontes ducebat, unde manarunt ampliſſima juris civilis flumina, per quae toto orbe ſparſa atque diffuſa multos ſummo homines ingenio, ſed praeſertim Cujacium, Merillium, Gothofredos, Brummerum, Bynkershoekium, & Noodtium ſtrenue proſpereque navigaſse dicebat. Horum in numerum poterat & ſe ipſum referre, niſi ſua ſibi obſtitiſset modeſtia. Retulit certe Heineccius, cujus judicium nemo ignorat quanti faciendum ſit, dum viros enumerat

e quorum ſcriptis adjumenta habuit ad ſuas Antiquitates Romanas conficiendas. Erant enim tum in manibus hominum libri duo *Interpretationum Juris*, cujus operis vulgandi haec Averanio data eſt occaſio. Cum Florentiae commoraretur Henricus Brenkmanus Batavus, ut ope Florentini codicis Pandectas verae lectioni reſtitueret, ſaepe ad Joſephum veniebat, ex cujus congreſsu doctiſſimiſque ſermonibus ſe capere fructum maximum dicebat. Accidit aliquando, ut legeret ſelecta quaedam capita ejuſdem operis, in quibus admiratus limatum judicium, reconditamque doctrinam atque eruditionem, ab Auctore impetravit, ut ſibi liceret ſpecimen aliquod mittere ad Cornelium Bynkershoekium & Gerardum Noodtium, alioſque juris conſultiſſimos viros cives ſuos. His illud probatiſſimum fuiſse hoc erit indicio, quod non ſolum ſuaſerunt, ſed etiam rogarunt, ut integrum opus in vulgus ederetur, maximo affirmantes iſtud uſui fore Juris prudentiae amatoribus. Facile annuit Joſephus, quod approbatio a tanta auctoritate proficiſcebatur. Itaque autographum Brenkmano

conceſſit; hic vero ad Noodtium miſit, cujus nutu atque conſilio Lugduni Batavorum a Petro Vanderio an. MDCCXVI. typis impreſsum eſt. Summus plauſus, quo duo priores *Interpretationum* libri excepti a doctis viris fuerunt, ſtimulavit Joſephum, ut iis tres alios adjungeret, in quibus componendis expoliendiſque plurimos evigilavit annos. Cumque vita exceſſiſset, priuſquam eos typis committeret, hujus rei conficiendae, ſi placuiſset, negotium dedit amico & diſcipulo cariſſimo Antonio Nicolinio. Omnia hic ſtudioſiſſime diligentiſſimeque curavit. Nam iiſdem Vanderianis typis an. MDCCXLVI. opus ſic excuſum eſt, ut nihil fieri potuerit elegantius; & ne quid ejus perfectioni deeſſet, illud ipſum Philippus Martinius aequalis & condiſcipulus Nicolinii indice copioſiſſimo ac ſummariis locupletavit. De quo toto opere cum aliquando judicium exquiſiiſsem Leopoldi Andreae Guadagnii, viri in principibus hujus ſaeculi Juris conſultis profecto numerandi, hoc ab eo reſponſum tuli. *Praeclaro Interpretationum juris opere quantum Joſephus Averanius praeſtantiſſimus Juriſconſultus Re-*

manam Juris prudentiam illuſtraverit, ornaverit, auxerit, animo percipere is facile poterit, qui animadvertat, eum in propoſitis quaeſtionibus diſſolvendis omnia accurate praeſtitiſſe, quae ad profligandos errores, ad Juris origines atque progreſſus inveſtigandos, & in lucem proferendos, ad certam demum conſtabiliendam ſententiam pertineant. Non tam quod alii Interpretes dixerint, quam quod Romani prudentes excogitaverint, ſummo ingenii acumine deligit, ſummoque judicio perpendit. Ubi ſaepe alii, ſi quid minus adſequi poſſunt, obelis configere, nodos non ſolvere, ſed ſecare ſolent, hic noſter optimis rationibus aperte declarat, haud temere a majoribus probatum id eſſe, quod habent vulgati codices. Quae ſuperſunt in Juſtinianeis libris fragmenta non modo invicem, ſed & cum claſſicis & aſſiduis tum Graecis, tum Latinis ſcriptoribus, quaſi Cujacius alter, ita confert, ut aliis alii mutam praeferre facem voluiſſe videantur. Cognitione antiquitatis, ac victrici, ut mos eſt Geometrarum, ratiocinandi vi luculentiſſime id oſtendit, quod poſt ingentes tot doctiſſimorum hominum in promovenda Juris prudentia labores caeca adhuc erat caligine circumfuſum, Neque, ut cultiores non-

nulli Interpretes faciunt, ſola ferme alicujus vocabuli, aut ſolemnioris ritus explicatione tota ejus diſputatio circumſcribitur, ſed & ea, quae ad obſcuram ſive contrahentium, ſive teſtatorum voluntatem interpretandam conducunt, ac forenſes dirimunt diſceptationes, fuſe, docteque proſequitur. Jam vero quanta verborum proprietas, quanta ſententiarum perſpicuitas in ſingulis operis hujuſce capitibus enitet! In quamlibet certe ejus partem oculos verteris, non tam elegantiſſimum ſcriptorem, quam eximii prorſus ingenii acerrimique judicii virum ſuſpexeris. Haec Guadagnius, qui in iis exponendis nihil profecto amori in Averanium, cujus in diſciplina fuit, conceſſit. Pleraque autem, quae ſunt in his *Interpretationum* libris, explicavit Joſephus auditoribus ſuis; tamque lautam ſupellectilem ad ea magis magiſque illuſtranda conferebat, ut facile convinceret, neminem ſine graviorum artium & doctrinarum inſtrumento ad Juris prudentiam poſse accedere. Hinc ſaepe dicere ſolebat, illos turpiter errare, qui putant jus civile ſummatim percipi ſine doctrina poſse; nam cum haec facultas latiſſime pateat, eo firmiora doctrinarum fundamen-

ta, & altiores radices habere neceſſe eſſe: tanquam perniciem reipublicae fugiendam, inſectandamque illam Juris prudentiam conflatam ex colluvione legulejorum, coenoque opinionum inter ſe diſſidentium, & plerumque cum antiqui juris integritate, cum ratione, cum ipſa veritate pugnantium; qui hanc ſequuntur omnia ſordido quaeſtu, non ſcientia, doctrina & dignitate metiri. Haec aliaque monita crebro inculcata ſtudioſis erant induſtriae quidam ac laboris ſtimuli ad veram concipiendam ſapientiam, elucebantque veluti ſigna itineris, quod ab iiſdem erat conficiendum. Quo in itinere ut facilius progrederentur, omnibus patere voluit domum ſuam, tanquam officinam omnium magnarum facultatum; neque recuſavit etiam habere domeſticos convictores nonnullos adoleſcentes, in quibus praeclara eſſet ingenii virtutiſque indoles. Poſſem plurimos illuſtres honoribus & fama nominatim referre, qui ex ejus ſchola prodierunt. Sed vereor, ne aut quemquam aliis praeferre videar, aut ſi quos praeteream incautus, offendam. Itaque ſatis mihi videbor dixiſſe, cum nominavero

Joannem Gaſtonem Mediceum, quem ejus pater Coſmus III. Magnus Etruriae Dux conſilio Henrici Noriſii an. MDCLXXXVIII. Averanio tradidit erudiendum in diſciplina juris. Exercuit Averanius Principem adoleſcentem diligentiſſime non ſolum in Juris prudentia, ejuſque miniſtra & famula Graeca, Romanaque eruditione, ſed etiam in contemplatione naturae. Cumque annis MDCXCIV. & ſequenti, ſociis & adjutoribus Cypriano Targionio aliiſque doctis viris, plurima in Mediceis aedibus habuiſſet experimenta de vi radiorum ſolis in vitris collectorum, videbatur renovaſse nobiliſsimam illam Academiam, cui nomen erat *del Cimento*, adverſantibus licet iis, qui cognitionem veritatis innocentiae labem aliquam aut ruinam fore putabant. Profecto Joſephus nemini eorum, qui in eadem Academia excelluerunt, concedebat acumine diligentiaque; quod judicium fecerunt quoque docti & intelligentes viri, qui de iiſdem experimentis retulerunt. His perſpectum habemus, vi radiorum ſolis gemmas, ceteroſque vel duriſſimos lapides, ſi unum excipias adamantem, qui

ſenſim abſumitur & evaneſcit; amiantum, talcum, multoque magis ligna, herbas, poma, caſeum, hiſque ſimilia breviſſimo tempore liquefieri, & in cryſtallum converti; liquida vero corpora, ſales, plumbum, hydrargyrum abire in fumum; res ab aqua, vel in aqua genitas in calcem redigi; aurum, argentum, atque aes minime mutari, ſed priſtinam conſervare naturam; vitriolum cypri, aliaque metallica corpora verum, pulcherrimumque in metallum verti, ſic vero verſa haud amplius immutari. Haec eadem experimenta accuratiſſime eleganterque Etruſco ſermone deſcripſit Joſephus, qui nos quoque illud ſcire voluit, lunae radios nunquam vim tantam habere, ut calefaciant. Quod quia nullo modo ſine ſumma cura ac diligentia deprehendi per experimenta poteſt, hinc factum puto, ut multi, quamvis inſignes Philoſophi, in contrariam iverint ſententiam. Idem Piſis cum eſſet, ſumma felicitate renovavit ante oculos diſcipulorum ſuorum, quae Hawksbaeus habuerat experimenta de luce, & electricitate corporum; & dum tractaret Boyleanam machinam, vidit,

dit, & in medium attulit nova & incognita quaedam de pondere & elaſticitate aeris. Multa quoque inveſtigavit de odorum proprietate; & in iis componendis, quoad vixit, valde delectatus eſt. Sed praeſertim in id incubuit, ut tempus conſtitueret, quo ſonus propagatur, utque cognoſceret, num ejus velocitas adverſis ventis retardetur, ſecundis augeatur. Haec aliaque experimenta de ſono fecit Averanius rogatu Laurentii Magalotii, qui eadem conceſſit poſtulationi Regiae Societatis Londinenſis. Haec vero volens Averanii operam remunerari, illum honorifico decreto ſuum in collegium cooptavit. Nec minus excellebat Averanius in fabricandis teleſcopiis aliiſque mathematicis inſtrumentis; omninoque videbatur ad phyſicas & mathematicas facultates natus, per quas, non ſecus ac per Juris prudentiam, potuiſset ſempiternae gloriae commendari, ſi famae cupidior fuiſset. Illam laudem unice videbatur quaerere, ut aliorum utilitati ſerviret, quod quidem ſe conſecuturum putavit, ſi Piſis Academiam inſtitueret, in qua induſtrii adoleſcentes in omni re phyſica exer-

cerentur. Huic Academiae *Oppreſſorum* nomen dedit, legeſque, quibus illa teneretur, Latine deſcripſit, verbis & ſono ſubruſtico imitatus antiquitatem. Nec minori Juris ſtudioſorum commodo multos praefuit annos illi Academiae, quae dicta eſt *Umbroſorum*, quaeque ad excolendam Juris prudentiam fuerat condita. Continue enim adoleſcentes in theſibus modo ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, modo ad copiam rhetorum in utramque partem exercebat; interdum etiam illos jubebat afferre orationes, in quibus aliiſque rebus conficiendis, ſi quis ope ſua indiguiſset, hanc nemini deeſse patiebatur. Extant theſes quaedam de jure belli & pacis, quae laudem non mediocrem pepererunt tum Averanio qui eas ſcripſit, tum Germano cuidam adoleſcenti, qui eaſdem publice propugnavit. Profecto nunquam conquieſcebat, neque defatigabatur Joſephus, antequam cumulatiſſime ſatisfeciſset diſcipulis ſuis. Non paucos quoque liberalitate ſua devinxerat, quibus rebus fiebat, ut quotieſcumque in publicum prodiret, multi eum ſubſequerentur, & nemo ei par in civitate po-

neretur. Triennium ipſe in explicandis Inſtitutionibus laboravit, poſt quod tempus, an. ſcilicet MDCLXXXVIII. ad interpretandos Pandectarum titulos vocatus eſt; duxitque initium ab eo, qui eſt de fidejuſsoribus & mandatoribus, in quo libentiſſime verſatus eſt propter ejuſdem amplitudinem atque utilitatem. Accidit aliquando, ut Piſas adveniset Fridericus Regius Saxoniae Princeps. Is motus praeclara fama, quae de Averanio erat, voluit eum e ſuperiori loco docentem audire. Rem gratam fore juveni Principi putavit Joſephus, ſi argumentum e publico Jure depromptum tractaſset; ſuditque pene ex tempore diſsertationem illam *de Pignorationibus*, quae eſt in manibus, & ex qua facile intelligi poteſt, quanta in eo eſset doctrinae copia (non tamen eſt celandum ipſum non aeque perfecte Juris publici, ut civilis, leges & inſtituta cognoviſse) & quam plenus eſset, uber atque elegans ad Latine ſcribendum. Inter haec Joſephus Benedictum fratrem amiſit, quem caſum pro mutua conjunctione, benevolentia, quotidianaque conſuetudine vehementer doluit. Quaeſivit ipſe

levamentum doloris in canendis mortui laudibus flebili ac molli carmine, illiuſque vita Latine deſcribenda, quae quidem praeſtitit ſuo more elegantiſſime: & hoc quoque ſe debere fratri dulciſſimo putavit, ut ejus ſcripta Praefatione vindicaret ab illis, qui ea incondita, inordinata, multa quidem eruditione referta, ſed non ornata, & ſanguine ferme carentia dicebant. Fuit profecto Benedictus vir litteratus, idemque Latina eloquentia adeo excellens, ut nonnulli, & in his Janus Vincentius Gravina, non dubitaverint illum praeferre M. Antonio Mureto. Sed neſcio, quomodo is, quem inter aequos ſapienteſque judices conſtat eloquentia praeſtitiſse, non raro parum preſsus & nimis redundans videatur; a quo vitio plurimum abfuit Joſephus, qui ſuam copiam ita temperavit, ut in ejus orationibus neque ſuperſit quidquam, neque deſit. Si autem apparatu eruditionis inſtruere debebat aliquid ſcriptionis, non imitabatur illorum exemplum, quibus unice eſt propoſitum, ut multa proferant, non delectum, non modum, non ordinem ſpectantes, ſed acri, quo pollebat,

judicio ex theſauris ſuis tantum expromebat optime convenientia, eaque non vulgaria, ſed recondita; omnia vero diſtincte, & ordinate diſponebat illuſtrabatque mira orationis elegantia. Fecit hoc in iis Italicis diſſertationibus, quas dixit in nobiliſſima illa Florentina Academia Etruſci ſermonis moderatrice atque cuſtode, quarumque tria extant volumina ab Antonio Franciſco Gorio annos aliquot poſt mortem Auctoris edita. Primum abundat doctrina veterum philoſophorum, ac praeſertim Platonicorum de Deo, ejuſque natura. Plurima quoque habet ex intima Chriſtiana theologia, & ex SS. Patribus, praecipue Graecis deprompta. Sunt & in eodem volumine, quae de acerbiſſimis cruciatibus, indigniſſimoque Servatoris noſtri ſupplicio Joſephus diſseruerat, & Urbini an. MDCCXXXVIII. mendoſe quidem typis impreſſa fuerant. Porro haec hominem in lectione SS. Patrum celebriorumque Theologorum exercitatiſſimum oſtendunt, quorum ſententias de generibus poenarum, quas Chriſtus ſubiit, ad leges conſuetudineſque veterum Romanorum eruditiſſime perpendit,

Hac enim via, quod veriſimilius eſſet, in magna opinionum varietate ſtatui poſſe putavit. Non incommode quaedam perſequitur de coronis veterum: deinceps pluribus explicat, qua ratione in morte Chriſti deficere ſol univerſae quidem terrae, exſtinguique viſus eſt; & pauca quaedam docet de Hebraeorum, Romanorumque magiſtratuum poteſtate, judiciorumque forma, ad levandam aliqua ex parte Pilati culpam in acerbiſſima injuſtiſſimaque Chriſti damnatione. Claudunt demum volumen diſputationes duae de mundi fine, quibus Averanius ſuadere nititur, illum tum fore, quando cuncta aſtra ad idem, unde ſemel profecta ſunt, redierint, quod temporis ſpatium annus magnus appellari ſolet, in quo, vix dicere audent aſtronomi, quam multa ſaecula teneantur. Secundum volumen plurima habet phyſica, quae mirabiliter explicant igneam ſolis naturam & ſummam lucis ſubtilitatem, velocitatemque. Explicant etiam quae de corporum gravitate, hujuſque legibus docuerunt philoſophi, praeſertim recentiores, rationemque reddunt, quare vis gravitatis minuatur, ſi corpus per

aquam deſcendat. Vidit hoc primus omnium Leibnitius: multa vero prompſit ex ſe Averanius ad illud ipſum confirmandum. Quod autem putaverit Leibnitius, illa obſervatione explicari facile poſſe cauſſam aſcenſus & deſcenſus hydrargyri in barometro, hoc neutiquam probat Averanius. Sunt etiam in eodem volumine (non commemoranda hic eſſe duco experimenta habita a Joſepho cum ignario ſpeculo & quaedam alia de ſono, quia illa ſupra retulimus) erudita multa. Talia ſunt, quae comprobant haud incognita fuiſſe veteribus non ſolum ignaria ſpecula, ſed etiam ea, quae formas aut augent aut minuunt; nec non illa, quae originem & progreſſionem naviculariae apud veteres perſequuntur; & quae demum oſtendunt nunquam fuiſſe in Liguria Apuam urbem, quamvis a Tito Livio Ligures Apuani nominentur. Poſtremo ad ornamentum voluminis accedunt binae funebres orationes, quibus Joſephus laudes celebravit Philippi Corſinii & Laurentii Magalotii; & quae idem praefatus eſt de conjungendis praeclaris artibus & diſciplinis cum Juris prudentia, dum in

lucem an. MDCCIV, Florentiae emiſit lyrica quaedam Anſaldi Anſaldii, viri utriuſque juris conſultiſſimi. Tertium volumen magna ex parte conficiunt erudita & curioſa multa de conviviis veterum. Haud pauci quidem e recentioribus praeſertim tractarant iſtud argumentum, quos omnes cum diligenter pervolutaſset Joſephus, undique floſculos in rem ſuam carpſit ac delibavit. Sed majora ſunt, quae ipſe per ſe inveſtigavit, quaeque retruſa antea atque abdita in media antiquitate protulit in lucem, ut videatur voluiſse omnes ſuperare doctrina, eruditione, ſubtilitate atque elegantia. Epularia ſequuntur pauca quaedam phyſica, metaphyſica & juridica. Oſtendunt priora, qui fieri potuerit, ut multi ſine cibo diu vitam ſuſtentaverint; commendant altera dulcem & altam non jam corporis, ſed mentis quietem ad explicandum illum Homericum verſum:

Ὕπνε ἄναξ πάντωντε Θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων;

verſantur poſtrema in ea quaeſtione, utrum ſignificatio Italici verbi *mobili* eo trahi poſſit, ut annonam comprehendat. Tribus his voluminibus quartum adjunctum eſt, in quo

ſunt Latinae diſſertationes duae, & oratio *de Juris prudentia*, *Medicina*, *Theologia per ſua principia addiſcendis*, de qua ſupra commemoravimus. Agit prior diſſertatio *de Lampadum ludo*, eaque probatur illum non fuiſſe in uſu apud Romanos, fuiſſe vero apud Graecos pervulgatum, qui Panathenaeis, Vulcanalibus, & Prometheis ipſum celebrare ſolebant in Ceramico. Probatur etiam eos qui hoc ludo certabant minime lampadem in orbem circumtuliſſe, ſed a primo ad ſecundum, a ſecundo ad tertium, atque ita deinceps ad poſtremum uſque eam traduxiſſe. *Ludos in genere* proſequitur ſecunda diſſertatio, oſtenditque a Lydis ludos ad fallendam famem in magna annonae caritate inventos fuiſſe, ab iiſque nomen accepiſſe; non tamen omnia ludorum genera nos ipſis debere, certe non ludum calculorum, ſeu quod idem eſt, latrunculorum, cujus inventorem fuiſſe putat Palamedem Graecorum ſapientiſſimum. De hoc autem ludo calculorum; de variis illo ludendi modis tum apud Graecos, tum apud Romanos; de ejus differentia cum ludis teſſerarum & talorum; de vocibus ad omnia

haec ludorum genera pertinentibus, in quibus interpretandis doctiſſimi etiam viri ſaepenumero errarunt; & ut alia praeteream, de ludo quodam Ægyptiorum a Theute invento, in quo motus aſtrorum repraeſentabatur, tam ſcite ac litterate diſſerit, ut facile exiſtimari poſſit, illum fuiſſe antiquitatis peritiſſimum. Ejus vero bonitatem declarant quae extrema diſſertationis parte poſuit ad penitus removendos homines ab aleae ludo, in quo ſola dominatur fortuna, cujuſmodi erant ludi talorum & teſſerarum: ſi cupiunt animum relaxare, poſteaquam gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerunt, ludant latrunculis, in quo omnia ſunt artis & ingenii; vel ſaltem, quodam retento modo, iis utantur luſionibus, in quibus cum fortuna certat ingenium, & ſortis iniquitas ſolertia artis corrigitur, qualis erat ludus teſſerarum cum calculis, cui Plato vitam humanam comparabat, & de quo Terentius in Adelphis act. IV. ſ. VII.

Ita vita hominum, quaſi cum ludas teſſeris.
Si illud, quod maxume opus eſt jactu, non cadit.

Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Cum his poſthumis Latinis monumentis Averanii optandum eſſet, ut ederentur quoque ejus laudationes, quas in tradendis doctrinae inſignibus fecit (lucent enim in iis maxima eloquentiae & praeceptorum ornamenta) nec non libellus Latinorum carminum, quem Petrus Burmannus captus eorum nitore atque ſplendore olim edere meditatus eſt. Nam ſtudia poetica, ut initio narravimus, in adoleſcentia Joſephus fovit; & ex quo tempore juvenilis alacritas deferbuit, quamquam nunquam acceſſerit ad poeticas ſcriptiones, temperare tamen ſibi non potuit, quin excellentiores poëtas quotidie fere in manus ſumeret, eorumque lectione, quaſi condimento amoenitatis, graviorum ſtudiorum aſperitatem molliret. Mirum! quam multa ipſe memoriter, praeſertim ex Plauto, Catullo, Virgilio, Horatio, & Juvenali recitaret, videbaturque nihil eſſe in iis non ſolum, ſed etiam in aliis antiquitatis ſcriptoribus, quod illi eſſet incognitum. Satis de ſcriptis Averanii dictum erit, ſi hoc unum

addam, non pauca ejuſdem judicialia & forenſia extare. Nullo non enim tempore conſulentibus de jure reſpondit; & interdum etiam ad cauſſarum defenſionem advocatus venit, cum quidquam non cuperet magis quam exemplo ſuo oſtendere, omnibus vivendum eſſe, fugiendamque oſcitantem & dormitantem ſapientiam. Romae apud XIIviros litibus judicandis adfuit Antonio Mariae Duci Salviato, quocum vinculis beneficiorum & magni amoris erat conjunctus. Atque in ea defenſione illud animadverſum eſt, hominem, qui quidquid deferebat, multa commentatione & meditatione elaborandum eſſe putabat, ut mereri poſſet elogium, quod Hierocles philoſophus Socrati tribuiſſe fertur, illius ſermones teſſeris eſſe ſimiles, cum ſtarent ſemper erecti quacumque caderent, iniquo tuliſſe animo morem, qui eſt in eo tribunali, ſcripto reſpondendi adverſariorum argumentis paucarum horarum ſpatio. Romae dum fuit, in admirationem benevolentiamque ſui multos adduxit, ac praeſertim Anſaldum Anſaldium & Ferdinandum de Valentibus: hic vero non uno in loco

ſuorum forenſium operum praeclara teſtimonia dedit Averanii doctrinae. Iidem quoque ipſi XIIviri litibus judicandis, quod raro homini viventi contigit, non ſemel in ſuis *Deciſionibus* Joſephi nomen auctoritatemque laudarunt. Quam vero longe lateque ejus fama vagaretur, declarant quae de eodem ſcripſerunt Schultingius, Barbeiracius, Heineccius, Van-de-Water, Brenckmanus, Clericus, Menckenius, Noodtius, & Bynckershoekius; qui duo poſtremi ipſum quoque per litteras conſuluerunt de controverſia inter eos orta, quonam ceſſaverit tempore paternum jus occidendi exponendique liberos. Noodtius enim primos iſtud crudele jus deleſſe Valentinianum, Valentem, & Gratianum exiſtimabat; citius legibus illud ipſum vetitum fuiſſe contendebat Bynckershoekius, cujus ſententiam confirmavit Joſephus, uſus praeſertim teſtimonio Tertulliani *lib.* 1. *cap* XV. *ad Nationes*, qui locus rem conficere videtur. Haec quoque non mediocris laus fuit ejus praeſtantis doctrinae, quod Victorius Amedeus Sardiniae Rex magnis praemiis ipſum invitavit ad docendam Juris prudentiam

in Taurinenſi Lyceo. Quae omnia reſpiciens Coſmus III. Mediceus, voluit aliquando eum in Florentinum Collegium Vvirum litibus judicandis cooptare, quod glorioſiſſimum erat Joſepho non ſolum propter muneris amplitudinem, ſed etiam quia tum, veteri inſtituto, minime ad illud admittebantur, niſi qui eſſent alienae civitatis. Verum is noluit Piſanam Academiam deſerere, a qua nulla unquam res potuit ipſum divellere, niſi corporis infirmitas. Nam qui gracilis ſemper fuerat, & in graves mortiferoſque non ſemel morbos inciderat; cum ad LXII. aetatis annum perveniſſet; coepit aſſiduis doloribus (humores enim, qui corpus interfluunt, acor corruperat) aſſiduaque febricula vexari. Poſtquam vero cum ſpe valetudinis recuperandae, ſpem quoque amiſit Piſas redeundi ad ſuum munus, hoc ſe abdicare cogitavit, cum vir caſtiſſimus aſſignatum muneri ſtipendium ſine praeſentia atque opera accipere ſe non poſſe putaſſet. Non tulit hoc Joannes Gaſto Mediceus, qui eo tempore ad Etruriae clavum ſedebat, ac bono illum animo eſſe juſſit, & illud curare unice, ut

diu vitam produceret. Ceſſit Joſephus Principis voluntati: ut vero ex animo omnem ſibi ſcrupulum evelleret, totum illud tempus, quo ſibi dabatur aliqua incommodorum levatio, abſolvendis *Interpretationum Juris* libris conſumebat. Sic enim, quod voce non poterat, ut Juris prudentiae ſtudioſos erudiret, hoc idem monumentis litterarum aſsequi curabat. Conſumpſit in his malis XIV. annos ea fortitudine, ut ne vel minimum a patientiſſimi hominis ſtatu diſceſserit. Dixiſses ſcopulum, quem non jam umbra quaedam ſapientiae, ſed ſumma ſanctitas atque religio adverſus omnes humanae vitae fluctus immotum fecerant. Cumque ad ceteras miſerias poſtremo, quo vixit, anno acceſſiſset apoplexis, nunquam vim tantam habuit proximae mortis aſpectus, ut non plus haberet Chriſtianus homo, fretus conſcientia optimae mentis futurorumque bonorum ſpe, quod gauderet, quam quod aut angeretur aut perturbaretur. Et quotidie paſcens animum ſacrorum librorum lectione, & ſaepe inſtruens ſe caeleſti Viatico, omnibus demum, quae ad religionem pertinent, ſancte peractis, vi-

tae curſum confecit mane IX. Kal. Septembris an. MDCCXXXVIII. Funus ei ſatis honorificum factum eſt in S. Marci, ibidemque, ſicuti juſserat, ſepultus eſt; ut is locus, quem religionis ergo vivus frequentaverat, & in quem ſingulari fuerat ſtudio, mortuum reconderet ac cuſtodiret. Neque multo poſt in periſtylio, quod Templo adhaeret, prope ſepulcrum majorum meorum, Antonius Nicolinius praeceptori benevolentiſſimo marmoreum monumentum faciendum locavit, in quo haec inſcripſit:

JOSEPHO AVERANIO
CIVI FLORENTINO BENEDICTI ET
NICOLAI FRATRI
IN PISANA ACADEMIA LIII. ANNOS
LEGUM INTERPRETI
JURIS CONSULTORUM SUI
TEMPORIS MAXIMO
PHILOSOPHIA GEOMETRIA ASTRONOMIA
GRÆCIS LATINIS LITTERIS
POESI ELOQUENTIA
ROMANAE HISTORIAE COGNITIONE
CLARISSIMO
RELIGIONE MORIBUS SPECTATISSIMO
PRAECEPTORI OPTIMO
QUI VIXIT ANN. LXXV. MENS. V. D. IV.

QUI

OBIIT IX. KAL. SEPT. ANNO A
CHRISTO NATO
M D C C X X X V I I I.
ANTONIUS NICOLINIUS
EX MARCHIONIBUS PONTIS SACCI
ET CASTRI CAMULIANI
H. M. D. S. P. F. C.

Teſtamentum fecit, in quo ſcripſit haeredes aegrotos valetudinarii Religioſorum, quos vocant Hoſpitalitatis. Legavit etiam partem bonorum ad dotandas pauperes honeſtaſque puellas. Poſtremo volens commodo utilitatique ſtudioſorum ſervire, bibliothecam ſuam Academiae Piſanae reliquit. Haec quoque declarant Averanii pietatem in Deum, quam ſic coluit tota vita, ut imaginem antiquitatis in eo dixiſſes intueri. Intentus erat animus ad omnia religionis munia obeunda; ſumma cuſtodia ſenſuum; ſtatis quotidie temporibus divinis precibus vacabat; nihil majoris momenti aggrediebatur, niſi conſulto & propitiato Deo, neque unquam in ſuggeſtum aſcendebat, quin prius templum aliquod ingrederetur ad divinam opem implorandam. Illum natura formaverat ad iracun-

diam propenſum, ſed hanc ſic compreſſit, ut eſſet in eo, quaſi cos fortitudinis, quemadmodum illam veteres Academici dixerunt, non peccandi occaſio. Ex quo factum eſt, ut multorum ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam, neminemque, etſi laceſſitus, laeſerit. Si quando vero cogebat eum veritas, quam nulli diſciplinae addictus unice ſemper amavit, aliorum opiniones convellere, nunquam eos nominabat, videbatque ſedulo, ut confutatio, quod & in monitionibus obſervavit, omni acerbitate careret. Vix tamen ferebat, ut a diſcipulis ſuis ſibi contradiceretur; nec defuit aliquando eorum unus ingenio, libertate dicendi, aliiſque multis nominibus inſignis, qui audacter in ipſum jaceret Cujacianum illud: *Si verum amamus, ſumus invicem magiſtri, & diſcipuli*. De reliquo impenſe eos diligebat Joſephus, & ab iis quoque dilectus eſt; cujus rei non mediocre argumentum eſt aeneum numiſma, quod eidem dedicarunt. Ex una parte iſtud repraeſentat effigiem Averanii, ex altera Parrhaſium montem, templum & ſimulacrum Deae Themidis cum

hac inſcriptione: THEMIS PARNASSIA; quae inſculpta ſunt ad indicandas praeſtantes, multipliceſque artes atque doctrinas, quas Joſephus cum perfecta Juris cognitione copulabat. Id ipſum ſuſpiciens Laurentius Bellinius, in nobiliſſimo illo ſuo *de Buccheris* poemate dubitare ſe dixit (danda quaedam eſt licentia Poetae) an plures in Averanio eſſent animae. Quam laudem multiplicis eruditionis magnifice quoque extulit Nicolinius, cum Joſephum laudandum ſuſcepiſſet apud Academicos Etruſcae linguae cuſtodes conſervatoreſque, ut omnia, quae amantiſſimi erant diſcipuli, officia & vivo & mortuo praeſtaret. Nimis vero longus eſſem, ſi ſingulos recenſere vellem, qui ſumma de Averanio praedicarunt. Nihil enim ei invidia detraxit, ſemperque aequiſſimis uſus eſt hominum judiciis. Itaque minime eſt mirandum, ſi ſic Piſis fuerit, ut delata ei omnium conſenſu Academiae Dictatura videretur. Nec minoris erat ejus auctoritas apud cives ſuos. Multorum controverſias tanquam honorarius arbiter judicavit, multis conſilio praeſto fuit; quod cum faciebat non quae-

ſtu & lucro, ſed hominum caritate ſe duci palam oſtendebat. Cum vero ſolitus fuiſſet iis temporibus, quibus Florentiae, propter vacationem a publico docendi munere, commorabatur, frequentare Academiam patriae linguae moderatricem, ita in ea praeſtabat, ut omnia illius nutu geri viderentur. Quod tum maxime apparuit, quando ejus hortatu immenſum opus ſuſceptum eſt conficiendi Etruſci Lexici. Una enim vox Averanii, unum conſilium incredibilem rei magnitudinem ac difficultatem vicit. Quod vero in tanta exiſtimatione tantaque fama modeſtiam ſervaverit, neque unquam elati inflatique animi ſignum dederit, hoc magnum & mirabile debet judicari. Optime novit, & in ſe oſtendit difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate, quae res plurimum valuit ad conciliandam ei apud homines auctoritatem & gratiam. Cultor, ſiquis unquam alius, caſtitatis & virginitatis, amicis adhortantibus ſe ad ducendam uxorem reſpondebat, nihil eſſe libero lectulo jucundius. Et qui voluptatem virtuti inimicam ſemper odit ac fugit, tam parce, continenter, ſobrieque

vixit, ut illam vocem Socratis ad nundinas Athenis celebrari ſolitas egreſſi uſurpare potuerit: *heu quot non egeo!* At quantum commodo, voluptatique detrahebat, tantum liberalitati aſſignabat. Nam domum ſuam magno aere alieno liberavit: ſaepe Philippo Baldinuccio, qui ei erat a confeſſionibus, non mediocrem pecuniae ſummam dedit diſtribuendam egentibus, qui Paroeciam S. Marci incolebant: ſaepe quoque puellas, quae propter paupertatem conditionem reperire non poterant, dote attributa, collocavit. Et ne differendo videretur negare, ſemper habebat ſecum, quod ſtatim daret opis ejus indigenti. Nulli vero amicorum fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Sic ſe gerendo minime mirum eſſe debet, ſi ejus vita omnibus fuit cariſſima, & mors peracerba.

Digitized by Google

OPERA EDITA.

DE LIBERTATE CIVITATIS FLORENTIAE ejuſque Dominii. Piſis 1721. in 4. Propoſitum eſt Auctori probare adverſus Principes Foederatos, *tum ante Principatum Rempublicam Florentinam omnino liberam, & immunem fuiſſe: tum conſtituto Principatu ad hanc diem Principes eadem immunitate potitos, nulli fuiſſe obnoxios, & Carolum V., mutata forma Reipublicae, nec legitimè potuiſſe, nec voluiſſe priſtinam libertatem invertere*.

ESPERIENZE fatte collo ſpecchio uſtorio di Firenze ſopra le gemme; e le pietre dure. Harum rerum ſpecimen prodiit primum in Parte V. Tom. VI. *della Galleria di Minerva*: mox eadem experimenta prodiere in Tom. VIII. art. IX. *del Giornale de' Letterati d' Italia*.

DISPUTATIO de jure belli & pacis. *Floren*. 1703.

PREFAZIONE alle Poeſie Toſcane di Monſignor Anſaldo Anſaldi impreſſe in Firenze nell' an. 1704.

VITA BENEDICTI AVERANII, & Praefatio ejus operibus. Exſtant in primo volumine eorumdem operum, quae edita ſunt Florentiae tribus voluminibus in folio an. 1717. *Elegia* in mortem ejuſdem Benedicti extat in tertio volumine.

DISSERTATIO de Rapreſſaliis habita Piſis an. 1713. Edidit hanc primus Lazzarus Benedictus Miglioruccius an. 1732. Tom. IV. ſuarum *Inſtitutionum Juris Canonici pag*. 75.

INTERPRETATIONUM JURIS LIBRI DUO. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander Aa, 1716. *in* 8.

---LIBRI TRES POSTERIORES, PARS I. ET II. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander *Aa*, 1746. *in* 8.

ORATIO de Juris prudentia, Medicina Theologia per ſua principia addiſcendis, Piſis habita an. 1723. *in ſolemni*

inſtauratione ſtudiorum a V. Clariſſ. Joſepho Averanio Piſano Anteceſſore, nunc primum edita ſub auſpiciis Illuſtriſſimi & ampliſſimi viri Bonaventurae Nerii Badiae magno Etruriae Duci a conſiliis. Veronae, in 8. Edidit hanc orationem Draunerus Cibanctus, ſub quo ficto nomine occultari voluit Bernardus Tanuccius, qui Averanii diſciplinae alumnus fuit.

LEZIONI ſopra la Paſſione di Noſtro Signor C. C. *Urbino*. 1738.

DISSERTATIO de Calculorum ſeu Latrunculorum ludo. Venetiis 1742. *in Tom. VII. della Miſcellanea di varj opuſcoli.*

LEZIONI TOSCANE dell' Avvocato Giuſeppe Averani Accademico della Cruſca Tom. I. in Firenze nella Stamperia di Gaetano Albizzini 1744. *in* 4.

——*Tom. II. preſſo il medeſimo* 1746.

——*Tom. III. preſſo il medeſimo* 1761.

MONUMENTA LATINA POSTHUMA JOSEPHI AVERANII FLORENTINI in Piſano Athenaeo Anteceſſoris nunc primum edita. Florentiae 1768. ex typographia Albizziniana.

CONSULTATIONES & reſponſa juridica varia ſeorſim edita.

OPERA INEDITA.

DEFENSIO propoſitionis, quam Galilaeus poſuit initio Dialogi II. de lancis aequilibrio, cui diverſa corpora, diverſiſque modis ſint appenſa.

TRACTATUS de Sphaera.

ARCHIMEDES cum Eutocii commentariis Latine redditus, & notis & obſervationibus illuſtratus a Joſepho Averanio.

LATINA CARMINA.

LAUDATIONES LXXIX. habitae in tradendis laureis

INDEX VITARUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Antonius Valliſnerius	pag. 9.
Joannes Maria Lanciſius	99.
Benedictus Bacchinius	182.
Gerardus Capaſſius	229.
Benedictus Menzinius	264.
Vincentius a Filicaja	293.
Joſephus Averanius	321.

INDEX

RERUM NOTATU DIGNIORUM QUAE IN VII.

VOLUMINE CONTINENTUR.

A

Aceoltus Benedictus 192.
Acta SS. Creſcii & Sociorum 210. 235. 236.
Adamius Raymundus 224.
Agnelli Pontificale 198.
Andrejus 35. 135.
Anguillarum ortus 30.
Anima ejus ſedes 110.
Anſaldius Anſaldus 343.
Antiquorum ludi 355. & ſeq.
Arcionus Abbas 174.
Aſſaltus Petrus 129.
Ateſtinorum Principum hiſtoria 195.
Averanius Benedictus ejus eloquentia 340.
Averanius Ioſephus ejus vita 321. Eutocium interpretatur 324. Galilaeum defendit 325 Academiae Piſanae addicitur 328. ejus orationes 329. ſcientia juris civilis 330. experimenta phyſica 335. opuſcula juridica 339. fratris vitam ſcribit 340. ejus diſſertationes de Chriſti paſſione 341. alia ejus ſcripta 343. Latina carmina 347. quanta opinio de ejus doctrina 349 mores 352. & ſeq.

B

Bacchinius Benedictus ejus vita 172. & ſeq. ephemerides litteratorum ſcribit 186. ejus calamitate 188. 212. dialogos vulgat 190. opus de Monaſterio Padolironenſi 192. itinera 193. munera 197. Pontificale Agnelli vulgat 198. librum de Hierarchia Eccleſiaſtica 200. Pitenintem confutat 206. mores 214.
Baconus a Verulamio 28.
Balthaſſarius Joſephus 1.
Blancus Jo. Baptiſta 117.
Boromaea Clelia 74.
Braſavolus Hieronymus 103.
Brinnius Thomas 37.
Buffonius 52.
Burgundius Horatius 57.

C

Capaſſius Gerardus ejus vita 219 controverſiae 232. 235. 236 itinera 242. quid ſenſerit de conſtitutione *Unigenitus* 243. odia in eum 246. mors & mores 248.
Carolus VI. 55.
Caſalechius 11.
Cataracta ejus origo 135.
Chamaleontis deſcriptio 43.
Chriſtina Svecorum Regina 275. 295.
Clarius Iſidorus 205.
Clemens XI. 62. 106. 108. 125. 126. 128. 139. 243. 283. 285.

Cleopatra ejus mors 134.
Clochius Antoninus 331.
Congroſſius Carolus Franciſcus 57.
Cordis motus explicatus 130.
Cornelia Piſcopia 185.
Corſinius Cardinalis 245.
Coſmus III. 236. 241. 267. 304. 335.
Cucurbitini vermes 36. 116.

D

DUpinius 204.

E

EUſtachii tabulae inventae 126.
Eutocii interpretatio 324.

F

FAntonius Jo. 126. 127.
Filicaja 261 274 ejus vita 293. lyrica carmina 295. 299. & ſeq. ejus calamitates 303. munera 304. Latina carmina 307. mores 312.
Fontaninius 208.
Fontana Felix 31.
Fontium origo 65. & ſeq.
Franciſcus Magnus Etruriae Princeps II. & ſeq.
Fungorum ortus 121.

G

GAleatius Guſmanus 64.
Galli reprehenſi 19. 35.
Guadagnius Leopoldus 331.
Gualterus Nicolaus 48.
Guidius Alexander 274. 281.

H

HEiſterus 135.
Hierarchia Eccleſiaſtica explicata 200. & ſeq.
Hippocrates 55. 112. 115.
Hiſtoriae naturalis ſors 29.

I

JEſuitae 254 283.
Innocentius XIII. 244. 254.
Inſecta eorum ortus & mutationes explicatae 17. 112. & ſeq. diſtributio eorum in claſſes 40.
Juriſprudentia quomodo excolenda 317. 334.

L

LAderchius ejus controverſiae 237.
Lamius 227.
Lanciſius ejus vita 99. ejus munera 104. & ſeq. opus de ſubitaneis mortibus 109. & ſeq. de noxiis paludum effluviis 113. de Romani caeli qualitatibus 114. de ſede cogitantis animae 138. de fungis 122. de Laurentino 123. bibliothecam ſuam dedicat 125. Euſtachii tabulas illuſtrat 126. Mercati Metallothecam edit 128. opus de motu cordis & aneuriſmatibus 130. cataractae originem inquirit 135. mors 139. mores 142 & ſeq.
Lazzerinus Dominicus 253.
Locuſtae ad cibum propriae 32.
Ludovicus XIV. 147.

M

MAbillonius Jo. 174.
Magalotius 308. 337. 343.
Malpighius Marcellus 10. 12. 13. 14. 20. 52. 116.

Marſilius Ferdinandus 70. & ſeq. 121.
Mariae Thereſiae Imperatricis laudes II. & ſeq.
Maſinius Comes 176.
Marildis hiſtoria 173.
Medicinae ſtudendae ratio 92. & ſeq.
Menzinius ejus vita 264. carmina 269. 271. ſatirae ib. cum Guidio & Filicaja comparatur 274. Romam concedit 276 poeticam edit 277. mores 280 ejus latina ſcripta 284. mors 289.
Mercati Metallotheca inventa 128.
Monachorum ſcholae 177.
Monelia 271.
Morgagnius 62. 117. 127. 133. & ſeq.
Mortierius 227.
Muratorius 195. 211.

N

Neolinius Antonius 315. 331. 354.

O

Oeſtrus ejus deſcriptio 39. & ſeq.

P

Pagninius Joſephus 257.
Paludum effluvia 113.
Patavina Academia ejus fortuna 22.
Peſtes animalium unde 96. 113
Petrarcha Franciſcus 6.
Piceninius Jacobus 206.
Plinianum rus 122.
Poeſis ejus natura 288. & ſeq.
Poupartius reprehenſus 19.

R

Redius 13. 14. 15 17. 30. 32. 266. 300.

S

Salicetus Natalis 95.
Saxoli falſa deſcribitur 64.
Scorpiones quomodo venenum emittant 31.
Sirius Victorius 185.
Siſtrorum figurae variae 191.
Struthionis deſcriptio 43.
Sugerius Abbas 179.

T

Targionius Cyprianus 335
Triumphetus Laelius 11.

V

Valiſnerius Antonius ejus vita 9. & ſeq. quae ejus ſcribendi ratio 15. dialogos vulgat 20. Patavium acceſſitur 22. ejus itinera 33. quas in claſſes inſecta diſtribueret 40. quam corporum ſeriem exponeret 49. ejus opus de hominis generatione 52. quam in medicina exercitatus 60. aquam calidam commendat 61. Romam invitatur 62. fontium originem indicat 65. & ſeq. ejus mores & laudes 77. opera edita 71. & ſeq.
Vannius Jo. Franciſcus 322. 325.
Vermium origo varia 16. eorum mutationes 17. lati qui ſint 36. ſeminales 52. 107. quomodo ſint cauſſa peſtis 56. & ſeq.
Verneyus 34.

005270807 MAGL. 5. 6. 199

ERRATA CORRIGE

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
20.	18.	Quidquid hoc loco	Quaecumque hoc loco exponuntur
92.	21.	evelli potuerint.	evelli minime potuerint.
95.	11.	curaveritque,	curaviſſetque ,
98.	11.	certe	ſane
102.	2.	gerit	gereret
117.	6.	cucurbitorum	cucurbitinorum
126.	12.	ipſum	ſe
131.	12.	pronuntiat.	ille pronuntiat.
210.	6.	Moppium	Mozzium
215.	2.	epicedia	epicedica
231.	6.	ſuſcepit exornare,	exornandam ſuſcepit,
236.	3.	ſuſceperat	agreſſus fuerat

dignitate. Percommode accidit, ut poſtquam per plures civitates Italicas percurriſſet, invitaretur a Franciſco Mutinae Duce ad domicilium ea in urbe collocandum, quod cauſſam dedit novis ephemeridibus, quae Mutinenſibus typis an. MDCXCII. & eo qui conſecutus eſt, vulgatae fuerunt. Intermiſſae poſtea varias graveſque ob cauſſas, poſt iterum inſtauratae, eaſque demum ſcribere omnino ceſſavit Bacchinius exeunte an. MDCXCVII. quamvis ex illo omni opere, quod novem conſtat voluminibus, plurimum utilitatis & famae perceperit. Nemo enim erat, qui eaſdem ſuperiores non poneret Romanis ephemeridibus, quarum in locum ſucceſſiſſe videbantur. Non eſt vero credibile, quanquam ei ſemper antiquiſſima cura fuerit neminem laedere, quantas ferre debuerit querelas, accuſationes & injurias hominum nimium gloriae appetentium, qui Bacchinium non narratorem, ſed patronum & laudatorem efſuſum ſibi exoptabant. Vehementer quoque vexatus fuit a Fabretto, quod approbator eſſe noluerit contumeliarum quibus ille lacerabat Gronovium, quaſi omnes ejus vo-

ſtibus, nec non appendice monumentorum illuſtravit & auxit: Mutinae 1708. typis Antonii Capponi T. II. in 4. & iterum Mediolani 1723. in fol. apud Muratorium.

Epiſtola de actis SS. Creſcii & Sociorum Martyrum *Scripta an. 1710. ad Eumenem Parthenium, ſub quo nomine latere putatur Virginius Valſechius collega & amicus Bacchinii.*

Cum edidiſſet Bacchinius Benedicti Accolti Aretini opus de preſtantia virorum ſui aevi, *quaedam eidem addidit de ſuo. Editor etiam fuit quorumdam ſcriptorum Aproſii, idque hortante Magliabechio.*

Diſſertatio in chartam donationis Opilionis quae adſervatur Patavii in Archivio S. Juſtinae. *Extat in vol. III. collectionis Calogerianae.*

De tollenda a Catholicorum ſcriptis hybrizomachia. *Extat in opere Joſephi Urſii quod inſcribitur.* Conſiderazioni &c. Modena 1735.

Epiſtola ad Antonium Magliabechium de veterum membranarum autenticitate adverſus ſcriptores Actorum Trevoltienſium. *Multi dubitare videntur num Bacchinio haec epiſtola ſit tribuenda. Vid. Mazzuchellium.*

Lettere Polemiche contro il Sig. Giacomo Picenino miniſtro in foglio opera poſtuma del R. P. D. Benedetto Bacchini Ab. Caſinenſe con le cenſure alle medeſime, e le oſſervazioni ſu di eſſe dello ſteſſo A. ec. in Alterf 1738. T. II. in 4. *Opus Mediolani typis impreſſum fuit cura Sixti Rocci Abatis Caſinenſis, qui honoribus & doctrinae gloriae apud ſuos floruit, quique omnia ſtudia & officia Bacchinio ſe debere profitebatur. Quoniam ſingulari ipſe fuit diligentia in recenſendis ineditis Bacchinii ipſius ſcriptis, ne actum agamus, quod vetamur veteri proverbio, ejus verba exſcribemus.*

OPERA INEDITA.

Manuductio ad philologiam Eccleſiaſticam, tom. 2. in fol. in qua praemittuntur neceſſaria ad Chronologiam, inde

ſingulis annis Aerae Chriſtianae, Chriſis philologica exercitii cauſa adhibetur, per tria priora ſaecula. Utebatur Auctor hac Manuductione ad inſtituendos Eccleſiaſticae Philologiae Candidatos, apud quos ejuſdem Manuductionis plura exemplaria inveniuntur.

Diſſertatio de Motionibus Mercurii in Barometro, in qua cauſſa aſcenſus & deſcenſus Mercurii in fiſtula phyſice explicatur, reddita ejus rei ratione, & de aeris pondere ad tempeſtatum mutationem diſputatur.

Ad nodum praedeſtinationis Cardinalis Sfondrati diſſertatio ſub nomine *Barachiae Scutenſis*, ideſt *Benedicti Parmenſis*, in qua oſtenditur, quae minus Theologica in eo opere videntur, tentamina potius imperfecta, & adverſaria ejus eruditiſſimi viri eſſe, eaque temere nimis ab aliis edita, multis adjectis, multis deletis, & imputatis, ipſo prae aegritudine, qua extinctus eſt, ante finitam editionem, vix de ea re cogitante. Plura idcirco in eo opere eſſe, quae contradictiones efficiunt, alia imperfecta relicta, nonnulla repetita, quae quidem non admiſiſſet vir tantus ſi prae valetudine licuiſſet, ideoque rite non poſſe opus illud Eminentiſſimo Sfondrato tribui.

Hypercriſis ad Criſim P. Magiſtri Gherardi Capaſſii, & *Anticriſim Patroni Laderchiani* ſuper Acta Sanctorum Creſcii, & Sociorum MM., in qua abſque ſtudio partium, quid uterque rite, quid ſecus dicat perpenditur, & perſtringitur abuſus, qui nimium invaluit, quo in litterariis & maxime ſacris quaeſtionibus res agitur inter doctos Catholicos conviciis, ſarcaſmatibus, & calumniis, ut a Summo Pontifice remedium opportunum imploretur pro publica Catholicorum Scriptorum dignitate. In fine referuntur Acta ipſa cum notulis, 1709. Hanc etiam Bac-

5270807

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google